



Biblioteka Jagiellońska
stdr0015302

DE SIGIS MVNDO, PRIMO REGE POLONIÆ, &c. DVO

Panegyrici funebres, dicti Cracouiæ in eius funere, Nempe,

SERMO SAMVELIS Episcopi Cracouiensis, & Regni Poloniæ Cancellarij.

ORATIO MARTINI Cromeri, Canonici Cracouiensis, & Oratoris Regij.



ECCLES. XLVII.

Christus purgauit peccata ipsius,
Et exaltauit in æternum Cornu eius.
Et dedit illi Testamentum Regni,
Et sedem gloriæ in Israël.

EX OFFICINA FRANCISCI Behem Typographi. Anno M. D. L.



CVM GRATIA ET Priuilegio Sacrarũ Maiestatum, Cæsaris ac Regis Rom. Duorum fratrum, Ad Septennium.



REVEREN DISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO Ioanni DVBRAVO, Episcopo Olumucensi in Morauia, Principi in Regno Bohemiæ, Domino & Patrono suo Colendißimo, Ioan. Cochlæus S. P. D.



ETSI non dubito, Reuerendiß. Dominationi tuæ probè notum et compertum esse, q̃ꝫ piè ac magnificè peractum sit laudatißimi Regis SIGISMVNDI celeberrima parentatione funus, in Amplißima ciuitate Cracouiensi, quæ ciuitati tuæ uicina est.

 Vbi

Celeberrima Parentatio.

Vbi tot fuere praesentes Heroicae Personae utriusq; sexus, ac tot Regum et Principum Clarißimi Oratores, unà cum splendidißimo Senatorum, Palatinorũ, Castellanorum, aliorumq; Procerum & Nobilium, Equitumq; totius Regni Poloniae coetu, qualem sane ac quantũ antea nunq; (ut existimo) uidit POLONIA: Quemadmodum conijcere licet ex funebribus multorũ Orationibus, quarum bona pars per Typographos Cracouiae euulgata est.

Thesaurus uirtutum.

Mihi tamen, pro tanti Regis uirtutibus & meritorum gloria, & bonorum operum fideiq; imitatione, dignum & operaeprecium uidetur, ut tantus uerarum uirtutum thesaurus,

rus, non sub unius Regni aut Prouinciae medio absconditè ponatur: sed positus potius super candelabrum Catholicae Ecclesiae, luceat omnibus, qui in domo Dei sunt, ut uideant tanti Regis opera bona, quae optima fide in hisce duobus Panegyricis referuntur: Et glorificent Patrem nostrum qui in coelis est, apud quem non est barbarus & Scytha, non seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. Matth. 5. Coloss. 3.

Scythica barbaries eliminata.

Fuit quidem olim in Polonia quoq; Scythica barbaries, ut fatentur omnes Cosmographi: sed per hunc Regem, in Domino piè defunctum, & per patrem Auumq; eius, Reges prudentißimos pariter ac fortißi-

 mos,

mos, ita instituti sunt Christiana sapientia & fide atq; religione plærique populi Septentrionales, literis quoque & moribus imbuti, ut longê fœlicius ibi floreant nunc bonæ literæ & diuersarum linguarũ peritia, quám florent modo in omnibus Græciæ & Asiæ prouincijs. Hæc est enim diuina & præclara laus Vladislai aui, quod sese ac cunctam Lituaniã religioni addixit Christianæ, ditionesq; suas omnes, Poloniæ fœdere sempiterno adiunxit: Qui in cicuranda & á prodigiosis (ut non minus uerê q̃ eleganter hic refert CROMERVS) Dæmonũ superstitionibus, ad ueri Dei cultum conuertenda gente sua, agresti & barbara,

Vladislaus auus Sigismundi.

barbara, permultum laboris, operæ sumptusq; impendit. Nec indecorum sibi duxit præpotens Rex, Doctoris & Apostoli munere fungi apud rudem & uilem plebeculam, cum sacerdotes nostri, eius linguæ penitus essent imperiti. Hæc ille de auo. Patris autem eius Kazimiri Regis quandam ego Epistolam unam interserui historiæ Hussitarum, quam superiore anno ædidi, in qua ille pijssime inuitauit in regnum suum, admirabilem uirum, Ioannem Capistranum, inter cætera his sane uerbis.

Kazimirus pater Sigis. lib. 10 fol. 368.

Tu autem Pater mi, Bohemicæ gentis reductione (quantum fas erit) expedita, ingredi & ui-

Epistola eius ad Io. Capistranũ.

 sere

ſere Regnum noſtrũ Poloniæ non grauerìs: ſed per nos rogatus, declina paululum, & nos filium tuum deuotum, precor & per miſericordiam Domini obteſtor, ne prætereas. Eſt nobis Regnum Poloniæ, tenaci fide Catholicam religionem obſeruans. Eſt & Ducatus LITVANIAE, cuius populos Genitor noſter clariſsimæ memoriæ Vladiſlaus, Poloniæ Rex Chriſtianiſsimus, ab Idolorum cultura, ad unius ueri Dei agnitionem reduxit. Vtriuſq; dominij noſtri populus, magnopere te geſtit uidere, & tuam præſentiã ſummo deſiderio & ſumma prece exoptat. Sunt præterea nobis terræ RVSSIAE latiſsimæ,

mæ, quæ etſi fidem profiteantur Chriſtianã, in ſectam tamen Græcorum dudum pertractæ ſunt. Extant multi, qui ſola fama nominis tui pellecti, renunciare ueteri ſectæ & ritui, & ingredi uiã quam monſtraueris, repromittunt. Hæc & id genus multa Kazimirus pater.

Ipſe uero Sigiſmundus Rex, quanto zelo & ſtudio reſtiterit nouis hoc tempore ſectis, in primis Lutheranæ, multis declarauit Edictis. In quorum uno (quod in Commentarijs noſtris recitatum nuper ædidi) ſic exorſus eſt. Audimus permultos eſſe in Regno noſtro factioſos, & nouandarum rerum cupidos homines. Qui ſectas, ab Orthodoxis

Sigiſmundi Regis Edictum contra Sectas.

A v patribus

patribus in Vniuersalibus Concilijs reprobatas, non in occulto solum sectantur, sed & publicê profitentur. Et post pauca. Quæ res (inquit) quàm fœliciter uicinis circumcirca regionibus ceciderit, nemini obscurum est. Videmus enim luce meridiana clarius, quantæ seditiones, quãtæ cædes, bonorũ direptiones, et quanta rerũ omniũ perturbatio, quanta pietatis ruina, quanta deniq; honestatis euersio ex his initijs excitata sit. Hæc & id genus complura Sapientißimus iste & in fide Maiorũ Constantißimus Rex, ad subditos suos. Quemadmodum eleganter & copiose ad longum cõmemorauit de eo in suo sermone, Re-

uerendiß. Pater, Dominus Samuel, Episcopus Cracouiensis. Quo equidem sermone, nihil fide, et imitatu dignius existimo. Quis enim suspicari queat, tantum uirum ausum fuisse, contra cor & conscientiam suam, in conspectu & consessu tot Heroum, Oratorumq; et Procerũ totius Regni, aliquid de hoc Rege affirmare, de quo poßit iure argui aut reprehendi, tanq; de mendacio, cum omnia tot testibus, qui uiderunt & audierunt, probare facile potuisset?

Samuel Episcopus Cracouiensis

Longe alia igitur est huius Panegyrici ratio quàm aliorum, qui quantumuis grauiter & ornate dicti aut scripti fuerunt. Inter quos sane præcellere mihi uidetur is,

Panegyricus de uirtutibus defuncti.

qui á Plinio secundo dictus est maximo ac potentissimo Imperatori Vlpio TRAIANO. Vbi dixit Consul in Senatu coram grauissimo & ueri amantissimo Principe, in consessu tot Consularium ac dignitate fulgentiũ & eminentium uirorum, quibus res gestæ & uirtutes Principis notæ erant & perspectæ. In hoc autem Panegyrico Cracouiensi, dixit Episcopus, quouis Consule maior & eminentior dignitate. Dixit Pastor, eius gerens uices, qui in Euangelio dicit: Ego sum uia, ueritas, & uita. Dixit Cancellarius Regni, cui omnia Regis tam priuata quàm publica negocia, totiusq; uitæ acta percognita

Panegyricus sermo fide dignus.

gnita

gnita erant. Et dixit ex animo, sine omni fuco & adulationis figmento, sine spe lucri aut mercedis temporalis, sine ambitione altioris honoris aut dignitatis, cum esset eo in loco summus Pontifex. Et dixit ex certæ ueritatis fiducia, fretus tot diuinæ scripturæ testimonijs.

Ausim igitur dicere, nihil me in hanc usq; diem legisse aut uidisse, ad stabiliendam Catholicæ fidei ueritatem, Ecclesiæq; authoritatem antiquam, aptius aut accommodatius huius Episcopi & Cancellarij Panegyrico isto. Quod si corda errantium & ab unitate Ecclesiæ abhorrentium, non tetigerit, nec ad saniora consilia conuerterit, signum est

Tremenda sententia multorum.

profesto

profecto tremendae illius sententiae, quae in filios Eli summi Sacerdotis prolata habetur in primo libro Regum: Et non audierunt (inquit) uocem patris sui, quia uoluit Dominus occidere eos.

Spes ędificationis multorum.

Visum itaque mihi est, has pias & doctas Orationes funebres, sub Clarissimi Nominis tui, Reuerende ac Generose Antistes, patrocinio, hinc mittere Moguntiam ad Affinem meum Typographum, ut illic in corde & umbilico Germaniae denuò excudantur, & in uniuersum Orbem Christianum foeliciter dispergantur, non sine certa spe fructus & aedificationis

ficationis multorum, quos Sectarum nouitates multis iam annis in fide Ecclesiae malè conturbarunt. Bene uale. Ex Vratislauia VIII. Calendas Martias. M.D.L.

SERENIS.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SIGISmundo Augusto,

Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lituaniæ, Rußiæ, Prußiæ, Masouiæ, Samogetiæ, &c. Domino & hæredi, Domino Clementißimo, Samuel à Macieiowice, Episcopus Cracouiensis, & Regni Cancellarius

S. D.



CVm habitũ per me sermonem in funere diui patris tui, cui tu pro tua pietate, perhonorificè, Regio sane sumptu & apparatu, iusta persoluisti, à pluribus expeti uiderē, quandoquidem ingens erat describendi labor futurus, operæprecium me facturũ esse putaui, si typis eum excusum, in lucem prodire permisissem: Quem ad te, Rex Auguste, mittendum, nominiquè tuo dicandum esse

esse duxi. Cui enim dicarem rectius, quàm tibi, ad quem sicut hæreditatis paternæ succeſsio, ita factorum etiam eius imitatio, propriè pertinere uidetur: ut non Regni magis & fortunarum, quàm uirtutũ, & morum optimi Regis illius te successorem esse factum, intelligant & lætentur omnes. Neq; enim longius exempla te petere necesse est, iustè cum fide, pietateq; uitam degendi, domi habes unde ea sumere poſsis. Nam, quæ magna tua fœlicitas, neq; postrema laus est, eo te patre nasci, diuinitus tibi contigit, cui cum in omni alio uirtutum genere, tum præsertim pietate, religione, sanctimonia, nullum ætas hæc nostra similem Regem tulisse uidetur. Quamuis autem hæc omnia, quæ laudem in eo approbationemq; hominũ merentur, solius Dei sunt munera: Quid enim habet quisquam nostrum, quod ab eo non acceperit? aut quis est mortalium, qui aliud quicq̃ ipse poſsit ex se, quàm

Filio Regis dicatus sermo.

Omniũ uirtutum exempla a parēte.

Dei munera.

peccare ? tamen qui sua ipsius bona coronat in misericordia & miserationibus, is hęc ipsa munera sua, has ipsas uirtutes, quibus patrem tuum affluenter ornauit, præmijs etiam afficere, atq; omni genere fœlicitatis, nō huius modo temporarię, uerū etiam illius ęternę, eum cumulare dignatus est. Proprium enim hoc est, & perpetuum diuinę benignitatis, á quibus piè colitur, ijs prosperos rerum omnium successus largiri. Sicut Dauid Regi, sicut Asa, Iosaphat, Ezechiæ, Iosiæ factum esse, sacra Regū narrat historia. Quos ita diuus pater tuus, uitam cum fide, iustitiamq; colendo expressit, ut neque mansuetudine, neque pietate, neq; fiducia erga Deum, cuiquam illorū secundus fuisse uideatur. Inde adeo contigit illi diuino beneficio, quod sicut mansuetus illę Rex, ita & noster hic Dauid, mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & diuitijs, & gloria. Quas non uidit ætas hæc nostra, passim in orbe

Prospe-ritas ex Dei cultu

Bella ubiq;.

toto

tóto Christiano bellorum tempestates & procellas ? quos tumultus ? quas non modo ciuitatum, oppidorum, castrorum, uerum etiam terrarum, prouinciarum, regnorum euersiones, direptiones, inflammationes ? Non dicam de urbe Roma, non de Italia uniuersa, non de Galliæ, de Angliæ, de Daniæ, de Scotiæ, deq; Suetię Regnis, in quibus qui fuerint motus, quæ rerum conuersiones, hoc æuo nostro, quis est qui sine dolore & lachrymis commemorare queat ? De finitimis tantū nobis nationibus dicam. In conspectu est nuper adeo florentissimum Hungariæ regnū, quod nunc in quàm durā, & ipsa etiam morte acerbiorem seruitutem, magna ex parte redactum sit, uidemus. Proxima est nobis Germania quoq;, quàm ampla ? quàm copiosa ? quàm abundans uiris fortibus ? Verum & illa sua laborans magnitudine, suis ipsa uiribus fracta, quas calamitates nō pertulit, proximis superio-

Regnum Hungariæ.

Mala Germaniæ.

 ribus

ribus annis? quas clades non accepit? quæ in ea hominũ? quæ oppidorum? quæ populorum strages æditæ non sunt? Sola Polonia maximo maximi Dei beneficio fuit in hunc usq; diem ab ea calamitate immunis, quę reliquas orbis Christiani partes omnes propè peruasisse uidetur. Quam autem eius rei causam esse dicemus? num quod hostes nobis defuerunt, qui nos fortunasq; nostras uexatas, direptas, euersas cuperent? Atqui si qua gens alia, nostra præ cæteris, omni genere hostium, & eorum quidem potentissimorum circumsepta, & modo non circumsessa est. Viribus ergo illos, aut arte aliqua, & ingenio superauimus? Quamlibet nos amemus licet, tamen neque numero Moschos, neq; robore Scythas, siue quis Tartaros uocare malit: neq; calliditate Valachos, neq; scientia rei militaris, finitimas nationes, quibus cum bellum nobis fuit, superamus. Sola fuit pietas, religio, fides in

Florens Polonia.

Deum firma, stabilis, & inuiolata, Diui patris tui, Regis nostri, pręclare de nobis meriti, quæ nos, quæ fortunas nostras, quæ statũ huius Regni incolumẽ conseruauit. Huic acceptum ferimus, quod cæsis toties & profligatis hostibus, diuturna pax & tranquillitas huic Regno parta est: quod nõ modo quę creabãtur discrimina, & pericula ab eo propulsata sunt, uerũ etiam ne maiora inferrentur, q̃ quæ sustineri aut arceri possent, prouisum est. Quod Regnũ hoc multò florẽtius ad te transmissum est, nõ modo quàm ipse Diuus parens tuus acceperat, sed etiam quàm fuit aliquando post hominũ memoriã. Amauit Deus patrẽ tuum, & ornauit eum. Amauit eius pietatẽ, amauit religionẽ, amauit purã fidem & incõtaminatam, quam ille qualem á maioribus suis religiosissimis Regibus acceperat, talem ad extremum usq; uitæ suæ spiritũ retinuit, tibiq; de manu in manũ tradidit, te hæredem illius & successorem insti-

Fides & religio patris.

Optima hæreditas religio patris.

tuit. Quam tu hæreditatem cum creueris, libentius etiam, quàm aliam quamuis eam adire debes: si te, si regnũ tuum, si nos fortunasq; nostras, saluas esse uis. Quæ nos omnia non alia spe, fidei potestatiq; tuæ cõmisimus, quàm quod uestigia sancti patris tui, cũ alijs in rebus, tum in Deo illius exemplo piè colendo, te persecuturum esse persuasum habemus. Quam tu opinionẽ de te nostram, indies magis atq; magis confirmabis, ut nõ magis nomine, quàm uirtute pietateq; Christiana, diuum parentem tuum te referre uideamus, & eum in te

Vt seruetur religio patris.

uiuere sentiamus. Hæc sola est seruandi nostri, seruandiq; tui ratio. Nec est extra hãc ulla alia, qua tu, qua nos quoq; salui esse posimus. Patrem piè in Deo colendo imiteris oportet, si paternæ fœlicitatis hæres esse uis. Ecce ego, quem suæ uoluntatis interpretẽ Deus esse uoluit, promitto tibi & spondeo, illius nomine, qui cum sit ueritas, fallere nescit: omnia tibi tuta fore & tranquilla, neq; defuturã patris tui in rebus gerendis fœlicitatẽ: si cuius filius, hæres & Regni successor es, eius iustitiam fueris & pietatẽ imitatus. Quod cum ultro facias, facturũ etiam te deinceps semper spem nobis minimè dubiam ostenderis, currentẽ, quod aiunt, pluribus hortari necesse non est. Itaq; ad eũ, de quo scribere cœpi, sermonẽ meum redeo. In quo (ut sunt uaria hominum iudicia) non deerũt fortasse, qui multa desiderẽt. Artẽ alij in tractando, splendorẽ orationis alij, & uerborũ elegantiam requirẽt. Quibus nos paucis respondebimus: Non fuisse nobis propositũ declamantis more, artẽ dicendi in sermone hoc nostro ostẽtare, quam illi ipsi, qui præcepta artis tradiderunt, celari ab oratore maxime in dicendo uolunt: sed artem potius bene uiuendi subiecto ante oculos domestico sancti Regis exemplo docere nos uoluisse.

Ars bene uiuendi proponitur, nõ ars dicendi.

De peruulgando uero sermone hoc, cum à nobis initio conscriptus fuisset,

minime nos cogitasse: quandoquidem uernacula lingua à nobis habendus erat, ita ut habitus etiam est. Quod si tum in lucem eum ædendum esse putauissemus, plus tamen curæ in eo expoliendo posuissemus: quo illorum etiam auribus pro uirili nostra, satisfacere nobis licuisset, qui nihil ferre possunt, quod Latinè, & quidem eleganter scriptum non est. Posteaquam uero sermo fuit à nobis habitus, grauissimis Reip. negocijs, quæ tua Maiestas non ignorat, occupatis, tantum nobis ocij non dabatur, ut quæ uel ad dispositionem eius, uel ad elocutionem pertinent, ijs diligentius expendendis uacare potuissemus: Cum præsertim qui nobis in eo exigendo molesti fuerunt, ij morã longiorem ferre nequirent. Quare sicut initio scriptus à nobis fuerat, ita typis eum curauimus peruulgandum. Abs te peto, Rex inclyte, quicquid eius est, quod tibi per nos offertur, ut id grato animo accipias. Neq; semel audiuisse contentus

contentus, legas etiam iterũ atq; iterum qualiacunq; scripta hęc nostra: quorũ lectionem fructũ tibi tamen aliquem allaturam nobis persuademus. Quod superest Deum precor optimum Maximum, ut te nobis diu florentem & incolumem cõseruet, ut cum sanctum Regem patrem tuum nobis ereptum esse, non scire non possimus: possimus tamen non sentire, cum te uestigijs eius incedentem uiderimus. Quod pro sua magis ineffabili bonitate, quàm pro nostris meritis, præstare nobis dignetur is, qui fons est & author bonorum omnium, Dominus noster Iesus Christus. Quem etiam atq; etiam supplex precor, ut diuturnam incolumitatem & rerum omnium prosperitatem tibi largiatur. Datum Cracouiæ XI. Calend. Septembris, Anno à Christo nato M D. XLVIII.

Non sentire patrẽ obijsse.

SERMO

HABITVS PER REuerendiss. in Christo Patrem, Dominum Samuelem Macieiowski, Episcopum Cracouiensem, & Regni Poloniæ Cancellarium, in funere Serenissimi Domini Sigismundi primi Regis Poloniæ.

Thema huius sermonis.

BEatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris: Quis est hic, & laudabimus eum, Ecc.31.

Vetus hic mos est, et longo usu iam inde à multis sæculis in Eccle-

sia Dei receptus, qui in fide & confessione Christi obdormissent, quiq; memoria dignum aliquid gessissent, eos ex loco superiore in æde sacra laudandi: non solum ut qui debebatur eorum uirtuti fructus, is tributus uideretur, cum aliam illi longe, quàm temporariam hanc mercedem expectent, quibus à Christo dictum est, Merces uestra copiosa est in cœlis: uerum etiam ut & consolationem ex eorum obitu propinqui lugentes accipiant, & ad eorũ imitationem accendantur, quos tam gratam sui memoriam reliquisse uident. Matth. 5.

Hoc Sapiens ille dixit: Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Sicut enim umbra corpus, ita uirtutem laus & Prou. 10.

Princeps maximus in Israel. gloria comitari consueuit. Quare cum obdormierit nuper in Christo sæculorum Princeps dignus memoria, nõ tam dominus quàm parens noster, patriæq́ nostræ, Sigismundus Rex: quandoquidem indignus ego pastoris in hac Ecclesia locum teneo, laudato mori satisfacturus, officij mei esse duxi, res gestas illius & uirtutes, recensere magis enumerãdo, quantum temporis breuitas patietur, quàm exornare dicendo. De quo licet eadem uerba mihi usurpare, quæ dixit olim Dauid de Abner Principe militiæ: Num ignoratis, quoniam Princeps & maximus cecidit hodie in Israël? Nam reuera cecidit hodie, quod nemo uestrum ignorat, Princeps maximus in Israël, Princeps

2. Reg. 3.

Princeps multorum populorum, Princeps innumerabilium uirtutum, Princeps consilij, clementiæ, fortitudinis, iustitiæ, continentiæ, pietatis, grauitatis, religionis, sanctimoniæ: magnus natalium splendore, maior gestarum à se rerum gloria, maximus omnis generis uirtutum excellentia.

Hic itaque tantus Rex, neque magis aliorum, quàm suipsius & suarum affectionum Rex, Princeps, moderator, omnium maximus in Israël, in populo Christiano, qui uerus est Israël, non secundum carnem, sed secundum promissionem, cecidit hodie. Euenit illud, quod ab eodem hoc Iesu Syrach dictum est: Rex hodie est, & cras morietur.

Rom. 9.

Eccle. 10.

Cum

Cum enim homo morietur, hære-
ditabit ſerpentes, beſtias, & uer-
mes? Vbi nunc maieſtas eius? ubi
ſplendor? ubi gloria? Gloria eius,
1.Mach.2 ſicut ſcriptum eſt, ſtercus et uermis
eſt. Hodie extollitur, & cras non
inuenietur, quia conuerſus eſt in
terram ſuam. Ecce gloria Regum,
quatenus ad ea quæ ſunt externa,
ſpectat. Ecce ſplendor Principum,
Luc. 12. ecce pompa magnatum, Sicut fœ-
num quod hodie eſt in agro, &
cras in clibanum mittitur. Sed eſt
alia uirtutum gloria, de qua ſcri-
ptum eſt: Semen eorum & gloria
eorum non derelinquetur: Cor-
pora ipſorum in pace ſepulta ſunt,
Ecc. 44. & nomen eorum uiuet in genera-
tionem & generationem. Sapien-
tiam eorum narrent populi, &

laudem

laudem eorū nunciet Eccleſia. De
hac gloria, de laude ſancti Regis
noſtri dicturus, heſternæ diei Epi-
ſtolam enarrandam ſumpſi. Quæ
cum in memoriam ſancti Marty-
ris Chriſtophori lecta ſit, recte ad
hunc noſtrum accommodari po-
teſt: qui memor membra ſua tem-
plum eſſe Spiritus ſancti, quem ha-
beret à Deo, ſeq; nō eſſe ſuum, ſed
emptum precio magno: quod di- 2.Cor. 6.
uum Chriſtophorum feciſſe legi-
mus, glorificabat & portabat De-
um in corpore ſuo: portabat Chri
ſtum in mente ſua, ut & ipſe Chri-
ſtophorus recte uocari potuerit:
nō quod manibus aliquando ſuis
Chriſtū geſtauerit, ſed quod nun-
quam illum ex animo ſuo elabi paſ
ſus ſit. Sed iam ipſum Ieſum filium

Syrach

Thematis declaratio.

Syrach dicentem audiamus: Beatus, inquit, diues, qui inuentus est sine macula. Beati esse uolunt omnes, quid autem sit beatos esse, nesciunt omnes: ne inter ipsos quidem Philosophos, in quo beatitudo uera cōsisteret, conueniebat. Alij in corporis, alij in fortunæ, alij in animi bonis beatitudinem collocabant. Hinc sanctus Dauid: Beatum, inquit, dixerūt populum cui hæc sunt, nimirum salus & incolumitas, diuitiæ & abundantia: At beatus, inquit, ille populus, cuius Dominus Deus eius. Beatum dicit Dauid, non qui corporis, non qui fortunæ bonis abundat, sed qui detrimentum hęc omnia facit, & arbitratur ut stercora, dum Christum lucri faciat.

Psal. 143. Phil. 3.

Hoc

Bona corporis & fortunæ.

Hoc beatitudinis genere, Rex noster Sigismūdus imprimis fuit beatus. Sed neq; cætera illi defuerunt, uel corporis, uel fortunæ, uel animi bona. Vidistis omnes quæ fuerit corporis in eo plus quàm Heroica species, procul etiam Principem ostentans, quæ proceritas, quæ Regia oris dignitas. Vidistis faciem, sic ex amabili quadam uenustate pariter ac Maiestate temperatam, ut neq; gratia minueret reuerentiam, neq; dignitas officeret gratiæ. Vidistis talem oris habitum, qualem & hostes formidare, & uereri possent improbi: boni uero non possent non amare. Sic augustum, ut nihil amabilius: sic rursus amabilem, ut nihil esset augustius. Vt sileam interim istos

 humeros,

humeros, ista latera, uires istas & robur, quibusuis Principe dignis muneribus obeundis par. Non illum frigus, non æstus offendebat, cum esset ualetudine quoq; firma satis, quoad ętas ferre potuit. Nam cum ad octogesimū annum pro-
Psal. 89. pius accessisset, nihil iam restabat amplius, q̄ labor & dolor, itaq; nihil ei defuit in corporis bonis.

Nobilitas Generis. Sed & fortuitis illis abundabat, inter quæ præcipuum habetur excelso loco natū esse: Quo nomine quid esse potuit Rege nostro beatius? qui Rex ipse, Regis fuit filius, quatuor Regum nepos, trium Regum frater, Regis & Reginæ patruus, Regis socer, Regis & Reginæ pater, Reginæ magnus patruus: ut siue sursum uertas oculos, siue

deorsum, siue in quamcunque partem flectas, nihil nisi Reges uideas. Nam & paternum & maternum genus à Regibus duxit. Pater eius Cazimirus Rex fuit, Vladislai Iagellonis Regis filius. Mater Elisabetha Alberti Rom. Hungariæ & Bohemiæ Regis filia, Archiducis Austriæ. Atque ita utroq; auo Rege prognatus est. Patruū habuit Vladislaum, Hungariæ & Polonię Regem: Auunculum Ladislaum, Hungariæ & Bohemiæ Regem: fratres Reges tres: Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ, Ioannem Albertum & Alexandrum Poloniæ: Nepotem ex fratre Ludouicum Hungariæ & Bohemiæ: neptem ex eodem Annam Ferdinandi Rom. Hungariæ

garię & Bohemię Regis uxorem, Generũ Ioannem Hungariæ Regem, cui filiam suam Isabellam collocauerat, cuius etiam antea sororem uxorem duxerat: Proneptem Elizabetam Poloniæ Reginam, quæ filio eius huic Regi nostro nupserat, Ferdinandi Romanorum, &c. Regis filiam. Habuit prætere a fratrem Fridericum Cardinalem, & alium Cazimirum, propter insignem uitæ sanctimoniam in diuorum numerũ relatum, qui hodie quoq; multis clarus est miraculis: Adeo, ut ipsos etiam cœlites arcta sibi necessitudine coniunctos habuerit. Nam & ex materno genere qui primus fuit Austrię Dux, is primus Christianã fidem professus, si Raphaëli Volaterrano

no credimus, Martyrij coronam accepit. Diuus quoq; Leopoldus Austriæ Dux, in diuorum album asscriptus, multa & ipse ædidit miracula. His ergo prognatus est maioribus, non generis magis nobilitate, quàm uitæ morumq; sanctitate claris. Nam & Auus Vladislaus quanto studio Christiana fide Lituanos, Idolis deditos, imbuendos curauerit, annales nostri loquuntur. Non erubuit uere Rex Christianissimus, ipsa etiam fidei rudimenta ex præscripto sacerdotum docere, apud quos interpretis officio fungi non putabat indecorum. Sorores habuit septem, quarum quæ maxima fuit natu, Heduigis, Georgio Duci Bauarię, cognomento Diuiti, nupsit. Cuius

Vladislaus auus quintus fuit Rex.

filia Elizabeth, Ruperto Philippi Palatini Rheni Electoris filio col- locata eſt, ex qua duo filij prognati ſunt, Philippus & Otto Henri- cus, qui fuit hic. Proxima Zophia Friderico Brandenburgẽſi Mar- chioni in Matrimonium data eſt, ex qua octo filij proceſſerunt, Ca- zimirus, cuius hic filius adeſt: Al- bertus iunior, Georgius, Alber- tus, quem præſentem uidetis, in Pruſsia Dux: Ioannes, Fridericus, Guilhelmus Archiepiſcopus Ri- genſis, Ioannes Albertus, Gum- bertus, filiæ quinque. Duæ uero Elizabethæ uirgines deceſſerunt. Quinta Anna Boguslao Duci Po meranię, ex quo tres filios, totidem ſuſcepit filias. Sexta Barbara, Ge- orgio Saxoniæ Duci, ex qua tres

filij nati ſunt, filię quinq;: Septima Elizabeth Friderico nupſit Duci Lignicẽſi. Habuit etiam ex priore uxore filiam Heduigim, quæ con- nubio iuncta eſt Ioachimo Mar- chioni Brandenburgẽſi Electori. Atq; ita præter etiã Imp. & Rom. Regiam Maieſtates, qui nullum in terris habuerunt hoc Rege ſibi genere propinquiorẽ, nec in Ger- mania Dux fere fuit aliquis inſi- gnis, quem non arcta ſibi habue- rit affinitate copulatum. His na- talibus quid eſſe potuit illuſtrius? quid hoc genere fœcundius? ex quo, tanq; ex equo Troiano, tot Reges & Principes prodierunt. Quod ſi, ubi amici ibi opes, quid eſſe potuit opulẽtius hoc Rege? tot amicis tam potentibus circũſepto?

Diuitiæ. Sed neq; illæ opes ei defuerunt, quæ diuitiæ uocantur. Scimus em̄ qui fuerit ſtatus Regū noſtrorum ante hunc: Non modo nullas opes habebant recōditas, uerum etiam perexigua fuit Regni portio, quæ non ab aliĳs poſsideretur: cum per eos, qui ante hunc ad Regni gubernacula ſedebant, tot Caſtra, tot Oppida, tot Prædia pignori obligata fuerint. Simul ut uero noſter hic Rex fuit deſignatus, unius aut alterius anni interuallo centena millia aliquot diſſoluit, bona liberauit, pecuniæ tantum collegit, quantum uix ullum unq; Poloniæ Regem habuiſſe cōſtat. Quod ego in laudibus eius recenſere, & in beatitudinis parte numerare nō auderem, niſi beatū diuitem à Sapiente

piente dictum legerem. Neq; enim exiſtimare debetis, malas eſſe diuitias, cū omnis creatura Dei bona ſit: ſed qualis eſt uſus earum, tales ſunt. Hoc eſt quod dicit Ambroſius, diuitię hominis ad redemptionem animę debent proficere, non ad deſtructionem. Et theſaurus eſt redemptio, ſi quis eo bene utatur: Et iterū laqueus eſt, ſi quis uti neſciat. Sed uideamus qualem diuitem beatum dicat Ieſus Syrach: Beatus, inquit, diues. Nunquid omnis diues? Minime uero, ſed qui inuentus eſt ſine macula, qui poſt aurum nō abĳt, qui non ſperauit in pecunia. Primum ergo ut ſit beatus diues, requiritur, ut habeat diuitias bene partas, deinde ut poſsideat diuitias, non poſsidea

1. Tim. 4

Eccl. 31.

Diues ſine macula.

tur ab illis: postremo, ut ne spem in illis collocet. Primũ illud ualde difficile est, ut sit diues aliquis, & inueniatur sine macula: ut nõ dolo aut fraude partas, ut nõ ex rapina & ex oppreßione pauperum quęsitas opes habeat. Hoc est quod in eodem libro legitur: Si diues fueris, non eris immunis à delicto. Hoc est quod Christus uocat diuitias, Mammonã iniquitatis. Hoc est quod dicit Hier. Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Quod si cui hæc fœlicitas contigit, ut diues inueniatur sine macula, sine fraude, sine rapina, sine oppreßione, nondum is beatus est: Necesse est præterea, ut ipse post aurũ non abeat, sed aurũ potius abeat post ipsum: hoc est, ut ipse dominetᷓ auro, non aurum

Eccle. 11.

Lucæ 16.

Post aurum non abiit.

aurũ ipsi: ne ꝓpter aurũ, quæ creatura dei est, relinquat creatorẽ, sed propter creatorẽ potius si necessitas postulat, relinquat aurũ. Hoc quoqꝫ ꝑdifficile est. Nã qui uolunt diuites fieri, incidũt in tentationẽ, & in laqueũ Diaboli, & desideria multa & inutilia & nociua: quæ mergũt homines in interitũ & perditionẽ. Radix em̃ omnium malorum est cupiditas. Necꝫ sine causa Poëta exclamauit:

1. Tim. 6.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Verg.

Sed necꝫ tertium illud minus est difficile, non sperare in pecunia & thesauris. Vbi est thesaurus tuus, dicit Christus, ibi est cor tuum. Timotheum monet Apostolus: Diuitibus pręcipe non sublime sapere necꝫ sperare in incerto diuitiarum,

Matth. 6.

1. Tim. 1.

rum, ſicut ſperabat diues ille, qui
Lucæ 12. dixit: Anima habes multa bona
poſita in annos plurimos, requie-
ſce, comede, bibe, epulare. Dixit
autem illi Deus: Stulte hac nocte
animam tuam repetent à te: quæ
autem paraſti cuius erunt? De ta-
Lucæ 18. libus diuitibus dixit Chriſtus:
Quàm difficile qui pecunias ha-
bent, in regnum Dei introibunt:
facilius eſt enim camelum per fo-
ramen acus introire, q̃ diuitem
introire in Regnũ Dei. Ac ne quis
de omnibus habentibus pecunias
id eſſe dictum putaret, alio loco,
quid uelit his uerbis explicat dicẽs:
Mar. 10. Quam difficile eſt confidentes in
pecunia, in Regnum Dei introire.

Non omnis ergo diues à Re-
gno Dei excluditur, ſicut non om-
nis

nis diues beatus dicitur: ſed is tan
tum, qui inuentus eſt ſine macula,
qui poſt aurum non abijt, qui non
ſperauit in pecunia. Talis autẽ di-
ues difficulter inuenitur. Quare
dicit Ieſus Syrach: Quis eſt hic, & Prou. 10.
laudabimus eũ. Quis eſt hic, cuius
ſubſtantia nõ ſit urbs fortitudinis
eius? Quis eſt hic, qui cum beato
Iob gloriari poſſit, quod non pu- Iob. 31.
tauerit aurũ robur ſuũ, quod nõ di
xerit: Obrizo, fiducia mea? Quis
eſt hic, & laudabimus eum? fecit
enim mirabilia in uita ſua. Quàm
eſt admirabile in igne uerſari, &
igne non uri: tam eſt illud admi-
rabile, auro abundare, neq; uel ma
lis artibus id adeptum eſſe, uel à re-
cto illius cauſa non deflectere, uel
fiduciam in illo ſuam non colloca-
re.

Rex iste sine macula diues. re. At de nostro Rege confiden-
ter dicere possumus, ꝙ talis diues
fuerit uere beatus. Nam si quisquam di
uitū, ille prę cęteris inuētus est sine
macula. Audiuistis in his, quę pro-
xime habita sunt, Comitijs, cū Sa-
muelis uerbis uos alloquentē. Me
ministis quę dixerit, pręsente Chri-
sto hoc Dei filio suo Rege nostro.
Nōne hęc illius fuit oratio? Loqui-
1.Reg.12. mini de me corā domino et coram
Christo eius, utrū bouē cuiusquam tu-
lerim, aut asinū: si quempiā calum-
niatus sum, si oppressi aliquē, si de
manu cuiusquam munus accepi: & cō-
temnam illud hodie, restituamque
uobis. Nonne taciti omnes assensi
estis, ꝙ nihil eiusmodi fecerit? Nō-
ne testatus est ille Deum & Chri-
stum hunc eius in die illa, ꝙ nō in-
ueneritis

ueneritis in manu eius quippiam?
Fuit Rex optimus, innocēs mani-
bus, & mūdo corde. Tantumque ab Psal.23.
eo abfuit, ut alieni sibi quicquam usur-
paret, ut de suo cederet potius. Nā
quo fuit potentior, hoc diligentius
cauebat, ne quid per potentiam fe-
cisse uideretur: Nō modo ab iniu-
ria, uerū etiam ab omni specie in-
iurię abstinebat, memor eius quod
scriptum est: Ab omni specie mala 1. Thes.5.
uos abstinete. Itaque cum nullo
mortalium gratior & iucundior
fuit, quam cum illo uicinitas. Ipse sub-
mouebatur potius, quam ut submoue-
ret quenquam. Adeo ferre iniuriam
Regiū esse magis existimabat, quam
facere. Inuentus est ergo iste diues
sine macula. Sed neque post au-
rum abijt, sed aurum potius post
ipsum. Ipse auro, non ipsi aurum

imperabat. Quodq; scriptum est,
Eccle.10. Pecuniæ obediunt omnia, in ipso
locum non habebat. Quin ipsi po-
tius obediebat pecunia, cum sem-
per illius loci memor esset: Diuitiæ
Psal.61. si affluant, nolite cor apponere.
Oblata sibi Regna recusauit.
Itaq; ultro etiam oblatas sibi di-
uitias respuebat. Quæ Regna ma-
gis abundant auro & argento, q̃
Hungariæ Regnum & Suetiæ?
utrunque tamen sibi delatum, iti-
dem ut & Bohemiæ Regnum re-
pudiauit, usq; eo fuit ab omni cu-
piditate remotus. Tanto magis di-
ues, quãto minus appetebat. Non
abijt ergo post aurũ, sed neq; spe-
rauit in pecunia & thesauris. So-
nabat enim subinde in auribus
Matth.6. eius uox illa Christi: Nolite the-
saurizare uobis thesauros in terra,
ubi

ubi erugo & tinea demoliuntur,
& ubi fures effodiunt et furantur:
thesaurizate autem uobis thesau-
ros in cœlo, ubi neq; erugo, neque
tinea demoliuntur, & ubi fures
non effodiunt nec furantur.

Omnem ergo fiduciam suam,
non in incerto diuitiarum, sed in
Deo uiuo collocabat, qui præstat
nobis omnia abunde. Memor illi-
us Prophetici: Beatus uir qui con- Hiere.17
fidit in Domino, & erit Dominus
fiducia eius. Quare studebat esse di
ues in bonis operibus, facile tri-
buebat, communicabat necessita-
tibus sanctorum. Ideo nunc eius
Eleemosynas enarrat omnis Ec-
clesia sanctorum. Multa in templa Ornamenta Ecclesiarum.
Dei ornanda, instauranda, noua
etiam ædificanda, multa in mini-

ſtros eorū conferebat. Non longe abire neceſſe eſt. Sacellum hoc in proximo uidetis, quanto ſumptu exædificatum, deinde quanta cura prouiſum eſt miniſtris, ut pie Deū in illo colerent. Quid dicam de Ecclesia Cathedrali Vilnæ: quæ cum proxime cōflagraſſet, ipſius opera potiſsimum, & pecunia denuo eſt exædificata: Vt interim alia templa ſilentio prætereaṁ, quæ ille ſi non extruxit, ut extruerentur, uel pecuniæ partem, uel materiam tamen ſuppeditando, adiuuit. Necꝙ uero minorem uiuorum Dei templorum curam geſsit. Nam & in miniſtros Dei ſacerdotes, & in pauperes quoſuis, qua fuerit liberalitate, ſcitis.

Interea tamen euenit illi, quod ſcriptum

ſcriptum eſt: Alij diuidunt pro- Prou. 11.
pria, & ditiores fiunt: Alij rapiunt nō ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Sicut enim apud uicinos factum uidetis, qui plurima rapuerunt non ſua, qui templa ſpoliauerunt, qui miniſtros Dei ſuis fructibus fraudauerunt, eos ad ſummam tandem egeſtatem recidiſſe.

Sic contra noſter hic, quo fuit liberalior in Eccleſias & earum miniſtros, quo plura tribuebat egentibus, hoc abundabat magis, hoc maiores opes reliquit. Adeo uerum illud eſt: Fœneratur Domi- Prou. 19.
no, qui miſeretur pauperis, & uiciſsitudinem ſuam reddet illi.

Sed reliqua lectionis huius ui- Sancti quidam diuites.
deamus. Qui probatus eſt, inquit, in illo: intellige in auro, Diuitiæ

enim & potentia, dicit recte quidam, quamuis Ethnicus, certissimum faciunt morum experimentum: Aut enim meliores propter hæc, aut peiores sumus. Quod em̄ index auro, hoc aurum est homini. Illud enim indicat qualis quisque sit. Sic probati sunt in auro Melchizedech Rex, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Dauid, & perfecti inuenti sunt. Sic post Christum quoqꝫ natum, sancti Reges nonnulli probati sunt. Et inter alios Rex hic noster Sigismundus probatus est in auro, & perfectus inuentus est, uicit aurum, non est uictus ab auro. Et erit illi gloria æterna. Hoc præmium accipiet, uel accepit iam. Audiuisse enim eum speramus iucundam illam uocem, &

omnibus expetendam: Euge serue bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Sequitur in contextu: Qui potuit transgredi, & nō est transgressus. Et quasi exponens quid sit transgredi, subiungit: Facere mala, & non fecit. His uerbis clarius etiam explicat Iesus Syrach, quomodo diues in auro probatus & perfectus inuentus sit. Nemo enim transgrediendi potestatem habet maiorem, quàm qui diues, qui potens est, cui fluunt ad uoluntatem omnia. Pauper si uelit nō perinde transgredi potest, neqꝫ enim parem habet facultatem: non desunt qui libere admoneant, qui prohibeant, qui metu etiam iniecto in

Matth. 25.

Qui potuit facere mala & non fecit.

officio contineant, ut si minus uirtutis amore, saltem pœnæ formidine à peccato arceatur. Propterea paupertatem Augustinus Philosophiæ magistram uocat, Chrysostomus uero quandam esse dicit manuductionem in uiam, quę ducit ad cœlum: Vnctionē Athleticā, exercitationem magnam & admirabilem, portū tranquillum. Opes
Ouid. contrà recte quidam uocauit irrita-
Ezec. 16. menta malorū. Nam & Sodomæ non alia memoratur iniquitas, nisi superbia, saturitas panis, & abundantia, & ocium. Necp sine causa Poëtæ Plutū cæcum finxerūt, non solum quod citra discrimen diuitiæ dignis contingūt aut indignis, uerum etiam quod quibus contigerunt, eos cæcos reddunt ac plærunqꝫ

runqꝫ dementant: accedente præsertim turba assentatorum, qui ex stultis insanos faciunt, qui ad gratiam omnia loquuntur. Quorum hæ nonnunquam uoces audiuntur, Licere Principi quod libet, Esse Principem solutum legibus, Quòd Principi placuit uigorē legis obtinere. Magna hæc est magnorum uirorū infœlicitas, quod non fere ueritatem audiunt. Vnde quidam dixisse fertur, Diuitum & Regum filios nihil recte discere, nisi equitare. Nam siue literas, siue palæstram, siue quicquid aliud doceantur, assentari omnes, cedere ac submittere se, solum equum non intelligentem priuatus ne sit sessor an Rex, diues an pauper præcipitare, si quis artem equitādi nesciat.

Cæterũ quo difficilius est diuitem, & qui cum Imperio uersatur non transgredi, hoc est pręclarius. Recte ergo beatũ uocat Iesus Syrach diuitem, qui potuit transgredi, & non est transgressus, hoc est, facere mala, & non fecit. Nam uitium in transgressione, uirtus est in modo. Sicut enim sanum dicimus corpus, in quo temperatæ sunt qualitates, ut neq; frigus, neq; calor, neq; siccum excedat, aut humidum. Si quid autem horũ transgreditur, morbum uocamus: Ita est sanitas quędam animi, quę uirtus dicitur, quæ in mediocritate consistit, ubi temperatæ sunt affectiones. Est rursus morbus, qui uitium in transgressione, quæ nihil aliud est, quàm declinatio uel in dextram

dextram uel in sinistram. Hoc est quod per Moysen præcipit Deus: Via Regia ambulabis, & non declinabis, neq; ad dextram neq; ad sinistram. Via Regia temperata est, nec plus in se habens nec minus. Verbi gratia. Via Regia prudentia est: ad dextram declinat, qui plus sapit q̃; oportet: ad sinistram, qui minus quàm necesse est. Transgreditur uterq;, transgrediendo peccat. Via Regia incedit, qui modum seruat, qui sicut Paulus admonet, sapit ad sobrietatem. Rex hic noster potuit transgredi, & nõ est transgressus, non declinauit ad dextram, cum sciret scriptum esse: Noli altum sapere, sed time. Et rursus: Non plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.

Deut. 5.
Rom. 12.
Rom. 11.

Prudens apud seipsum. scas. Re uera si quisquam alius
hic est grauissimus animi morbus,
si quis apud semetipsum prudens
Rom.12. est, quod prohibuit Paulus dicens:
Nolite esse prudentes apud uos-
Eze.5. metipsos. Propheta quoque com-
minatur talibus: Væ, inquit, qui
estis sapientes in oculis uestris, &
coram uobismetipsis prudentes.
Inde hæreses, inde existunt schis-
mata, dum se solum quis intellige-
re, cæteros omnes desipere: sibi
apertos oculos, cæteros in uniuer-
sum cæcos esse putat. Sed audite
Ioan.9. quid dicat eiusmodi Dominus: Si
cæci (inquit) essetis, non haberetis
peccatum: nunc uero dicitis, quia
uidemus, peccatum ergo uestrum
manet. Quæ, malum, ista est cæci-
tas mentis, cæteros omnes cæcita-

tis

tis condemnare, sibi soli apertos
esse oculos existimare: Vnde Male aperti oculi.
autem ea oritur, nisi ex inobedien-
tia: Sic primi parentes nostri,
postquam ab obedientia Dei re-
cesserunt, & de uetito ligno scien-
tiæ gustauerunt, dicit scriptura,
quod aperti sunt oculi eorum. Sic
& Ionathæ, cum contra sui patris 1.Reg.14.
interdictum de melle gustasset,
illuminati sunt oculi eius. Sed
uæ illis, quibus ad hunc modum
aperiuntur & illuminantur oculi.
Per hanc enim illuminationem
& Adam è Paradyso eiectus, &
Ionathas Regni successione priua-
tus est. Caueant ergo sibi, qui
ab Ecclesiæ obedientia cum re-
cesserint, apertos sibi esse oculos
gloriantur.

Irenæus

Gene. 2. Irenæus illum Gene. locum
explicans: Ex omni ligno Parady
si comede, de ligno autem scientiæ
boni et mali ne comedas: Ab omni
(inquit) scriptura Dominica man-
ducate, super elato autem sensu ne
manducaueritis, ne uelitis esse sicut
Eze. 14. dij, ne uelitis esse similes altissimo,
sicut ille qui propterea de cœlo de-
turbatus est. Ne uelitis solis uobis
uerum scripturarum intellectum
arrogare: Quæ bonæ quidē sunt,
sed elatus sensus malus est. Elatus
Sapientia quædā mala. autem sensus, est sensus priuatus,
sensus singularis, sensus ab Eccle-
siæ sensu dissidens, quando suum
quis non Ecclesiæ spiritum sequi-
tur, cuiusmodi Dominus commi-
Eze. 13. natur, dicens: Væ Prophetis insi-
pientibus, qui sequuntur spiritum
suum,

suum, & nihil uident. Fugite per
Deum immortalem, fugite talem
sapientiam, quæ non est desursum
descendens, sed terrena, animalis,
Diabolica. Quis enim fructus eius Iaco. 3.
nisi zelus amarus, nisi contentio,
cum ea quę desursum est sapientia,
primū pudica sit, deinde pacifica,
modesta, suadibilis, bonis consen-
tiens, plena misericordię & fructi-
bus bonis. Hanc diuus Rex noster
amplexus est, huic nitebatur. Non
est exaltatum cor eius, neq; elati Psal. 130.
sunt oculi eius: Non ambulabat in Eccles. 3.
magnis, neq; in mirabilibus super
se. Altiora se nō quęrebat, fortiora
se non est scrutatus. Non erat inter Rom. 12.
alta sapientes, uerum inter humi-
libus consentientes: In captiuita- 2. Cor. 10
tem redigebat intellectum suum, in
obsequium

obſequiū Chriſti, & corporis eius Eccleſiæ. Atq; ita non declinabat in dextrā, ut ſaperet plus q̄ oportet ſapere: ſed nec in ſiniſtram declinabat, ut minus ſaperet q̄ neceſſe eſt, et imprudētia peccaret, quod fit ab ijs, qui temere agūt et præcipitāter. Cum puer eſſet, ſancte fuit à parētibus educatus, neq; leniter ſacris biblijs imbutus, & in Salomonis ac Ieſu Syrach ſcriptis diligēter verſa-
Eccle.37. tus. Ibi legerat ante omnē actum: Cōſiliū ſtabile præcedat. Via ſtulti
Pro.12.et 13. recta in oculis eius, qui aūt ſapiens eſt, audit conſilia. Qui agūt cuncta
Pro.11. cōſilio, regūtur ſapientia: ſalus, ubi multa conſilia. Talibus præceptis puer imbutus, quoniā nō priuatā, ſed publicā totius Regni ſe perſonam ſuſtinere intelligebat, ut neq; recte

recte facere, niſi publico omnium bono: neq; peccare, niſi publico omniū malo poſſet, non ulla de re ſine cōſilio Senatorū quicq; ſtatuebat, quin etiā leuiſsima de re quęſitus, nō niſi deliberatus reſpondebàt. Memor eius quod ſcriptū eſt: Sit aūt omnis homo uelox ad au- Iac.1.
diendū, & tardus ad loquendum, tardus ad irā. Quare ſermones ad menſurā proferebat, examinatos libra iuſtitiæ, ut eſſet in ſenſu grauitas, in ſermone pondus, in uerbis modus. Videtis ergo, quō pruden ter & ſapienter oīa faciendo, Rex noſter trāſgreſſus nō eſt, quomodo uia regia inceſſit, nō declinādo in dextrā, ut plus q̄ oportet ſaperet: neq; in ſiniſtrā, ut minus ſapere uideretur, præcipitanter aliquid agendo.

Nunc

Nunc ad filiam prudentiæ fortitudinem ueniamus. Nam quæ prudentia destituta est fortitudo, ea nomen fortitudinis non meretur. Propterea Propheta iungit hæc duo, spiritum consilij & fortitudinis. Destruitur enim (ut sancti illius uerbis utar) fortitudo, nisi per consilium fulciatur. Quia quo se plus posse conspicit, eo deterius sine moderatione in præceps ruit. Est ergo uia Regia fortitudo quoque: Declinat ad dextram, qui temerarius est & audax: ad sinistrã, qui pauidus est & formidolosus.

Fortitudo filia prudentiæ.

Eze. 11.

Diuiditur autem fortitudo in res bellicas & domesticas. Vtraque clarus fuit Rex noster. Bellica fortitudo quanta in illo fuerit tot uictoriæ declarant, quas insignes de suis

suis hostibus reportauit. Fuit eñ animo imperterrito, ut quoties necessitas postularet, obijcere periculis uitam suam non dubitaret. Atque ita in sinistram non declinabat: Multo minus autem in dexteram, nulla enim à re magis fuit quàm à temeritate remotus. Pacis enim & tranquillitatis studiosus, propulsabat magis bellum quàm inferebat, neque nisi necessitate compulsus, bella suscipiebat, quod quanta mala secum traheret nõ ignorabat, neque aliud in suscipiendo bello, quàm pacem quærebat. Non ille sui fiducia peccabat, quam præsumptionem uocant, multo minus pusillanimitate. Sed magno quodam & excelso cum esset animo, nulli

Pacis amator.

neq; homini, neq; perturbationi animi, neq; fortunæ ſuccūbebat. Non metu frangebatur, nō poteſtate mutabatur, nō extollebatur proſperis, nō mergebatur triſtibus. Idem in illo uultus, eadē ſemper frons apparebat, cum nulla mētis, qua uultus fingitur, fieret mutatio. Philoſophorꝫ quorundam eſt ſentētia, Sapiētis animū talem eſſe, qualis eſt ſupra lunam mundi ſtatus, ſemper illic ſerenum eſt, nullæ apparent nebulę, nullæ pluuiæ, nullæ tempeſtates: talis erat animus Regis noſtri, in quem nullæ propemodum perturbationes cadere uiſæ ſunt, ut non uerbo magis diceretur, quam eſſet re ipſa Sereniſsimus. Nam non modo tranquillus

Sereniſſimus.

lus

lus ipſe fuit, uerum etiam tranquillabat & ſerenabat omnia, nō ſuo modo in Regno, uerum & in alijs, ubicunque ciuile bellum excitari cognouerat, ſedare pro uirili conabatur. Quanto labore, quāto ſumptu ſuo, de Regno Hungariæ inter ſe armis diſceptantes, Ferdinandum & Ioannem Reges, in gratiam reducere nitebatur? Quanto ſtudio contendebat, ut inter Imperatorem & Galliarum ac Daniæ Reges, pacem conciliaret?

Rex pacificus.

De ſedanda uero ſeditione nuper in Germania coorta, credibile non eſt, quām ſollicitus fuerit. Neq; ſumptibus parcebat ullis, quoties id aut Chriſtianæ Reipublicæ neceſsitas, aut Re-

 gni

gni ſui rationes, aut ſua ipſius dignitas poſtulabat. Teſtantur hoc impenſæ factæ in Legatos, qui de componendis Regibus Chriſtianis, non ſemel miſsi fuerunt: & in eos, qui miſsi ad ſe eſſent liberaliter habiti. Teſtantur effuſæ ex fiſco pecuniæ in militem in finibus alendum, in ſarcienda damna, quæ ſemel & iterum per latrunculos quoſdam ex terris Maieſtatis eius Turcis & Tartaris illata fuerunt: In Tartaros muneribus deliniendos, quo eos quaſi in ſua ſemper haberet poteſtate. Teſtantur ſoluta militibus ſtipendia, quæ à Ioanne Alberto & Alexandro fratribus debebantur. Dotes. Dotes quatuor ſororibus numeratæ, quæ à fratribus promiſſæ,

miſsæ, neqꝫ tamen miſſæ fuerant, Filiabus uero duabus, quibus quæ Paraphernorum nomine addita fuere, dotem etiam propemodum ſuperabant. Teſtantur tot inſanæ ſubſtructiones in hoc Cracouienſi, in Vilnenſi, in Sandomirienſi, in Camenecenſi, Leopolienſi, Corcinenſi Caſtro, & aliis in multis locis: Nullus ut uno hoc in Polonia Regno fuiſſe Rex magnificentior uideatur. Quod quidem per hunc potiſsimum illuſtratũ eſt, & celebrius factum, quàm fuit unq̃ antea. Ipſe ſplendorem in hoc Regnum, ipſe politiam primus inuexit, cum inter barbaros antea numerati fuiſſemus. Fuit ergo Rex noſter magno & excelſo animo in rerum

Magnificæ ſtructuræ.

externarum despicientia, sed non minore in perferendis doloribus, & aduersis tolerandis, quibus nequaquã animus eius frangebatur. Nam siue à Deo immittebantur aliqua, ut morbi & grauissimi totius corporis cruciatus, quos sæpe sustinebat: non sine quadam admiratione, beati Iob in eo patientiã uidere licuit, non modo murmurare contra Deum auditus non est, sed ne uerbum quidem asperius contra quenquam aliquod proferre uisus est. Siue etiam Satanæ insidijs tentaretur, forti atque infracto animo confisus in eo qui uicit mundum, qui conculcauit Leonem & Draconem: omnia tela nequissimi ignea, scuto fidei pro uirili

Patientia Regis

Ioan. 16.

Psal. 90.

Ephes. 6.

uirili sua extinguere conatus est, Deo conatum eius adiuuante. Siue homines etiam aliquando persequerentur maledictis, iniurijs, contumelijs incesserent, non alio animo tulit hæc, quàm tulerat olim Dauid, Semei sibi maledicentẽ, memor illius quod scriptum est: Melior est patiens uiro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbiũ. Recti se conscientia consolabatur, neque aliud maius & honestius uindictæ genus esse persuasum habebat, quàm ignoscere. Quòd in magni cuiusdam Imperatoris laudibus positum acceperat, eum obliuisci nihil solere nisi iniurias: id ipse ita imitabatur, ut etiam superior euadere conaretur.

2. Reg. 16.

Prou. 16.

naretur. Nam nõ ignoſcebat mo-
do, uerum etiam diligebat inimi-
Matth 6. cos ſuos, iuxta Chriſti prçceptũ:
Et bene faciebat ijs, qui oderant
eum. Non uincebatur à malo, ſed
uincebat in bono malum. Ac bo-
na pro malis reddendo: Carbo-
Rom. 12. nes ignis cõgerebat ſuper capita
perſequentium ſe. Atq; una hac
re teſtatum cunctis faciebat, ſe fi-
lium eſſe altiſsimi, qui benignus
Lucæ 6. eſt etiam ſuper ingratos & ma-
Matth. 10 los. Neq; uero in ijs modo re-
bus fortitudo eius lucebat, ſed
cum illud memoria teneret, non
qui cœperit, uerum qui perſeuera
uerit uſque in finem, ſaluus erit:
ſumma in eo fuit laus perſeueran-
Eph. 4. tiæ. Non ille ut paruulus fluctua-
bat, neq; circumferebatur omni
uento

uento doctrinæ: Non erat ſi- Iac. 1.
milis fluctui maris, qui à uento
mouetur et circumfertur, ſed cum
eſſet fundatus ſuper petram, nul-
læ pluuiæ, nulla flumina, nulli
uenti irruentes dimouere eum de Matth. 7.
recto ſenſu, deq; uera Chriſti fide
potuerunt. Dicebat cum Hie- In fide
ronymo: Illam ſenex tenebo fi- conſtan
dem, in qua puer natus ſum. Sed tia.
& alijs omnibus in dictis factiſq;
ſuis, ſumma fuit conſtantia. Neq;
tranſgrediebatur uel ad dextram
declinando, ut eſſet pertinax &
ꝑfractus, quo uitio nullũ poteſt
eſſe, in Principe prçſertim, maius
uitium: Vel in ſiniſtram, ut eſſet
mollior quàm oporteret. Dabat
ille locum rectis conſilijs, neque
ſuo iudicio tantũ tribuebat, quin

cederet

cederet cõsentienti iudicio & uoluntati Senatorum suorum. De quorum cõsilio si quid statuisset, de eo priusquam ad decrepitam senectutem peruenisset, nulla se ratione deduci patiebatur. Fuit ergo fortitudinis quoque laude beatus Rex noster, neque transgressus est, ut uel in dextram uel sinistram declinaret. Est uia Regia temperantia quoque, quam ordinem & modum quendam esse uolunt omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur. Hunc ordinem & modum transgreditur, qui vel in dextram declinat, uel in sinistram. In dextram declinat, qui sensum omnem & humanitatem refugit, qui etiam ab ijs abstinet, sine quibus natura cõseruari non potest:

Tempe-rantia.

potest: Cum rationabile Paulus obsequium nostrum esse iubeat. Timotheum etiam hortatur, vt ab aqua abstineat, uino modico vtatur propter stomachum. In sinistram, qui nimio plus uoluptatibus indulget, siue quę ex cibo, siue quæ ex potu, siue quæ ex rebus obscœnis percipiuntur. At his quoq; rebus cum transgredi Rex noster potuerit, transgressus tamen non est. Cuius quæ fuerit verecundia, quanta honestas, meministis omnes. Non in factis ea modo, verũ etiam in sermone relucebat, qui nihil indecorum resonabat: nihil scurrile, nihil inep tũ, plena fuit grauitatis oratio: & si cum esset animo remissiore à iocis non abstinebat, uerum ijs eiusmodi,

Rom. 12.

1. Tim. 6.

Hone-stas ue-recundiæ

eiuſmodi, qui nihil de eius grauitate prorſus decerperent. Neque in oratione modo, ſed & in vultu, in ſtatu, in inceſſu, in motu etiã, corporis decorum illud Regium apparebat, vt ſi quis etiam non nouiſſet, hæc tamen cum uidiſſet, ad Regiam perſonam ſuſtentandam à natura factum diceret.

Abſtinentia.

Abſtinentia uero fuit ſingulari, cuius rei argumentum eſt, quod ſicut ille in utero ſanctificatus, uinum & ſiceram non bibit. Qua tamen in re tranſgreſſus non eſt, neq; modum exceſsit. Non declinauit in dextrã, ut ad extremum uſq; à uino abſtineret, ſed cum ingraueſcente ętate ſuaderent medici, ut ſuę ualetudini conſulendo uino uteretur, dedit locũ eorum conſilijs:

Luc. 1.

conſilijs: Sed non ita, ut uel in ſiniſtram declinaret, & bibendo modum excederet, qui nunquam in uita ſua ebrius uiſus eſt. Porro quod ad cibos attinet, minime fuit delicatus. Bis quidem in die, ſed non plus tamen quàm appeteret natura, comedebat. Ieiunia uero ab Eccleſia indicta, ſancte obſeruabat, non quod cibum aliquem eſſe immundum iudicaret, uel quod regnum Dei eſcam eſſe & potum putaret: Sciebat ille, quod omnia munda eſſent mundis, quod omnis creatura Dei bona eſſet, quod eſca nos non commendat Deo, neq; ſi manducauerimus, abundabimus: neq; ſi non mãducauerimus, deficiemus. Atq; ita nihil aliud ieiunãdo ſpectabat, quàm

Ieiunia recta.

Rom. 14

Tit. 1

1. Tim. 4

1. Cor. 8.

quàm ut carnis desideria frena-
ret. Sine cerere enim & baccho
Dan.9. friget venus, vt, exemplo Danie-
lis: ad contemplationem Dei &
beneficiorum eius, mentem red-
deret magis idoneam, vt quæ ci-
Ion.3. bo plærunq; deprimitur, ea per
1.Reg.7. abstinentiam in sublime tollere-
2.Reg.12. tur. Deniq; vt Niniuitarũ, vt Sa-
1.Esd.8. Tob.3. muelis, vt Dauid, vt Esdræ, vt
Iudith.5. Saræ filiæ Raguelis, vt Iudit, vt
Hester4. Hester, vt Machabeorũ exemplo
1.Mach.3 Tobie,12. Deum peccatis suis irascentẽ pla-
catum redderet. Didicerat enim
puer, bonam esse orationem cum
ieiunio & Eleemosyna. Quod enĩ
oratio pulsat, impetrat Ieiunium,
accipit Eleemosyna: vt sibi inui-
cem tria hęc uitam dent. Est enim
orationis anima ieiunium, eiunĩj
vero

vero uita Eleemosyna. Sed hac
quoq; in parte non est transgres-
sus. Nam cum ualetudo illius id
uisa est postulare, de consilio utri
usq; medici, uetitos etiã ab Eccle-
sia cibos sumebat: neq; ita anxie
ieiunia obseruabat, quin esse dan-
dum aliquid necessitati putaret:
Extra quam non ea temere unq̃ Heb,13.
uiolabat. Qua cum abstinentia
fuerit, nihil mirũ est, si fuit apud Sap,3.
eum honorabile connubium, tho
rus immaculatus: fœlix maritus,
qui nesciuit thorũ in delicto, qui fi
dem uxori datam ita seruauit, ut
eam fregerit nunquam. Habuit
uxores duas, Vnã Stephani Co-
mitis Scepusiensis filiam, Ioannis
Vngariæ Regis sororẽ, Barbarã
nomine sanctiss. fœminã. Alterã
quæ

quæ ſuperſtes illi eſt, Bonam Ioannis Galeacij Sphorciæ Ducis, Mediolanenſis & Iſabellę ex Aragoniæ Rege prognatæ filiam, cum utraq; ita uixit, ut præter eas fœminā agnoſceret nullam. Neq; vero in ijs modo, quæ uel ad cibum uel ad potum, uel ad carnis deſideria pertinent, tanta fuit abſtinentia, uerum in affectionibus etiam animi moderandis incredibili fuit continentia: & cum potuerit tranſgredi, tranſgreſſus nō eſt. Non eſt transgreſſus aliquo crudelitatis genere, cum fuerit clementia ſingulari, ut multo uerius ipſe quàm Artaxerxes dicere potuerit: Cum plurimis gentibus imperarē, uolui nequaquàm abuti potentiæ magnitudine, ſed uitam

Clementia.

Heſter 3.

clementia et lenitate gubernabam ſubiectos, ut abſque ullo terrore uitam ſilentio tranſigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. Nam quem librum puer edidicerat, in eo ſcriptū eſſe meminerat, quod clementia præparat uitam, quod miſericordia & ueritas cuſtodiunt Regem, & roboratur thronus eius clementia. Neq; enim alia uirtus ulla magis facit ad concilianda hominū ſtudia, quàm clementia, quæ principem decet maxime: cum nihil ea ſit laudabilius, nihil magno & præclaro uiro dignius. Hanc ergo uirtutē ita fuit amplexus Rex noſter, ut non aliud fere uitium eius maius eſſe diceretur, quàm quod eſſet in ſontibus plectendis remiſsior.

Prouer. 11.

Prou. 20.

remiſsior. Cum itaq; eum hortatus quidam fuiſſet ad ſeueritatē, Qui ſcis, inquit, nū à te eam exorſurus eſsē? Nōne fuit inſignis hęc eius clementia? quod cum neceſſariū contra ſuū nepotē in Pruſsia bellum ſuſcepiſſet, poſteaq; eos omnes, qui militatū ad illum contra ſe profecti fuerāt, ſub poteſtatem ſuā ſubiunxit, cum uitę in eos necisq; poteſtatem haberet: non modo occidi quenq; paſſus non eſt, ſed uiatico inſtructos benignius etiā haberi, atq; ad fines uſq; Germaniæ deduci iuſsit, ne qua uis eis à quoq; inferretur. Adeo clementiſsimus Princeps, alieno ſanguini tanquam ſuo parcebat.

Mansuetudo. Neq; uero ſola in eo clementia, ſed & manſuetudo fuit admirabilis.

bilis. Tantū enim ab eo abfuit, ut per irā grauius in quenquam animaduerteret, ut ipſam etiā irā ita frenaret, ut non modo factū, uerū ne uerbū quidem ullū aſperius ex ore eius irati audiretur. Nā & hoc ſcriptū legerat: Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper gloriam hominū diligeris. Nulla res æquè facit hominē Deo dilectum & hominibus, ut manſuetudo. In ſacris Biblijs Moyſis, Ioſeph, Dauid præſertim laudatur manſuetudo, ſed nullo horū fuit inferior, princeps hic omnium quos ætas hæc noſtra uidit manſuetiſsimus. Qua ſua uirtute in ſui cūctos amorē rapiebat. Quis em̄ nō amaret Chriſti imitatorē Regem, qui cum malediceretur, non maledicebat;

Eccleſ. 3.

1. Pet. 2.

maledicebat: cum pateretur, non cõminabatur, quin potius reddebat bona pro malis, benefaciebat persequentibus & calumniantibus se. Has eius uirtutes ornabat modestia singularis. Nulla in eo cernebatur animi elatio, quin illud, quod puer didicerat, diligenter obseruabat: Quanto maior es, tanto te magis humilia in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Ac Thobiæ præcepti memor, nunq̃ ille superbiam in suo sensu, aut in suo uerbo dominari permisit. Semper illud in corde uersabat: Rectorem te posuerunt, noli extolli. Esto in illis quasi unus ex ipsis, curam illorum habe. Quodq̃ à Christo dictum est: Reges Gentium dominantur

Mode-stia.

Eccles. 3.

Thob. 4.

Eccle. 32.

Lucæ 22.

eorum, & Principes eorum potestatem habent ipsorum: Vos autem non sic, sed quicunq̃ fieri uoluerit maior, erit uester minister. Et quicunque uoluerit in uobis primus esse, erit omnium seruus. Non est igitur elatũ cor eius in superbiam super fratres suos, sed ita cum subditis suis uiuebat, sicut pater cum filijs. Quę ad officium suum Regium pertinebant, earum rerum ita fuit studiosus, ut à uitio curiositatis longè abesset, sciebat diuisa esse purpuram & sacerdotium: ad Regem Palatia, ad sacerdotes Ecclesias pertinere. Imperatorẽ, & Regem bonum, sicut scribit Ambrosius, intra Ecclesiam esse, non supra Ecclesiam. Itaq̃ nihil sibi iuris uen-

Deut 17.

Non inuasi-r Iu-r:s Ecclesiastici.

dicabat in Dei ministros, neque aut de moribus illorum, aut de fidei causis cognitionem sibi usurpabat, quam iam non sui ordinis esse intelligebat: Sed Constantini Gratiani, & aliorum laudatissimorum Imperatorum, ac maiorum etiam suorum exemplo, libera de ijs iudicia Sacerdotum & Episcoporum esse uolebat. Quod ab illis esset decretum, reuerenter exequebatur, neque se in eorum officia ingerebat. Memor
2. Par. 26. eius, quod Oziæ Regi acciderat,
Ozias. qui thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi uiolenter assumens, resistente sibi Azaria Sacerdote, cum obtemperare nollet & cedere, diuina indignatione confusus, & uarietate

tate

tate lepræ in fronte maculatus est: ea parte corporis notatus à Domino, ubi signantur qui Dominum promerentur. Quodquè Oza.
euenerat Ozæ, qui cum exten- 2. Reg. 6.
disset manum ad arcam Dei, iratus est indignatione Dominus contra eum, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est iuxta arcam Dei. Sed de hac temperantia illius, dequè modestia singulari dicta sufficiant.

Restat ea, quę mater est & Re- Iustitia.
gina uirtutum omnium, iustitia, de qua pauca cum dixerimus, finem sermonis faciemus.

Hic quoque transgressus non est Rex noster. Nam nisi transgredi & hic non liceret, nō diceret Sapiens: Noli esse iustus multū. Eccle. 7.

 Iustus

Iustus uero multum est, qui non habita ratione æqui boni, summo iure facienda putat omnia, cum etiam Prouerbio sit usitatũ, Summum ius, summã iniuriam, summam esse crucem, quiq; magis ad seueritatem implicatus, quam ad misericordiam est propensus. Quod qui facit, is declinat ad dextram: sicut ad sinistram declinat, qui remissior est quàm oportet, in administranda iustitia. In neutram partem declinauit Rex noster, sed incessit uia Regia: modum in seueritate, modum seruauit in indulgẽtia. Quod si alterutra re transgressus est (in multis enim offendimus omnes) indulgendo magis transgressus est, q̃ seuerius animaduertendo: Quod in

Iacobi 3.

in hanc partem tutius peccare sciret. Neque uero ita legum apices consectabatur, ut non mentẽ potius legis inspiceret, ut non æqui boni simul rationem duceret.

Rex noluit legibus esse solutus.

Cauit ante omnia summo studio, ne cui noceret ipse: ne cui iustam de facta per se iniuria querendi occasionem daret. Neq; solutus legibus, quin alligatus illis potius esse cupiebat: neq; aliunde quàm de iuris authoritate, suam authoritatem pendere uolebat. Quod maius esse iudicaret, imperio submittere legibus principatum. Nec satis habuit ipse ab inferenda iniuria abstinuisse, nisi memor officij sui Regij, propulsasset etiam, si quis alius cuiquam intulisset. Iudex fuit incorruptus,

 ut

Incorruptus Iudex. ut qui ab odio, ira, amicitia, & omni cupiditate uacuus esset. Faciles ad eum erant aditus, iuris dicendi laborem nullum prorsus declinabat. Totis interdum octo horis & amplius etiam, sicut ipsi meministis, cognoscendis causis præsidebat. Cum nihil interea uere beatus diues iste noster nisi iustitiam esuriret, atque sitiret, audiebat æquanimiter utranque partem summa cum patientia: Quamdiu uellet dicendi cuique potestatem faciebat. Mane cum pro tribunali sedisset ad uesperã usque, causas nonnunquam cognoscebat: Cum prior esset apud eum, suum cuique tribuendi, quàm ualetudinis conseruandæ ratio. Extremis tamen temporibus his, quoniam

Matth. 5.

Causarũ audiẽtia.

quoniam lecto plærunque fuit affixus, à causarum cognitione supersedebat. Nihilominus quãlibet affecta & ætas eius & ualetudo fuit, simul ut à morbo suo paululum erat recreatus, ad officium suum redibat. Quo cum rarius fungeretur, uno & altero anno ante obitum, propter ingrauescentis morbi uim, inde natæ sunt hominum querimoniæ, quod se ius suum consequi non posse dicerent: Cuius tamen rei, nulla penes eum culpa residebat, uoluit enim ille, sed uis morbi non permittebat. Tanta autem fuit omnium de illo iustitiæ opinio, ut cum præesse iudicijs ipse non posset, nõ cognosci causas, quàm ab alio quopiã præter iustissimũ

Regem

Regem ſuum iudicari mallet.

Quoniam uero late patet nomen iuſtitiæ, ſub qua uirtus omnis continetur, paulo de ea fuſius dicendum nobis erit: uos quod facitis, attente, quæſo, audiatis.

Fides in promiſsis

Iuſtitiæ fundamentum fides eſt, quam uolunt eſſe dictorum conuentorumq́ constantiam & ueritatem, quæ ſi in quoquam alio fuit mortalium, fuit in hoc Rege noſtro maxima. Erat enim uerbum illius, Eſt, eſt: Non, non.

Matth.5.

Nihil fuit eius promiſſo certius, ut in utramq́ iam aurem ei dormire licuerit, cui quid ipſe promiſiſſet: Quod prius futurū eſſet, ut cœlum rueret, quam ut promiſſum ille non faceret. Nihil in eo fallax, nihil multiplex: Sed

Iob.1.

erat

erat uir ille ſimplex & rectus, ac timens Deum. Sed nobis nunc alia de fide præter hanc dicere prępoſitum eſt, de ea quam nulla bona opera præcedunt, ex qua omnia procedunt, neq; enim aliunde opera noſtra bona ſunt, niſi ex fide: Quam ſi tollas, inanis eſt prudentia, inanis eſt fortitudo, inanis eſt temperantia, inanis eſt iuſtitia, inanis eſt uirtus omnis, neq; uirtus dici meretur.

Ex fide bona opera.

Cum omne quod non eſt ex fide, peccatum ſit, ſola fides eſt, quæ nos à peccatis omnibus purgat, quæ mentes noſtras illuminat, quæ Deo nos reconciliat, quæ cunctis participibus naturæ noſtræ conſociat, quæ remunerationis futurę ſpem nobis inſpirat,

Rom.14.

Quanta bona dat fides in Chriſtū.

quæ

quæ ſanctas uirtutes in nobis auget, quæ nos in earum poſſeſsione confirmat. Tolle fidem, omnem ſimul uirtutis poſſeſsionem ſuſtuliſti: Quæ enim eſt uirtus noſtra? quæ ſapientia noſtra? quæ iuſtitia noſtra? quæ ſanctificatio noſtra? niſi Dominus no-
1. Cor. 1. ſter Ieſus Chriſtus, qui factus eſt nobis hæc omnia, qui ſanguine ſuo niſi nos redemiſſet, nemo aliquo cum ſuo merito, uirtute ulla præditus, nemo iuſtus, nemo noſtrum ſanctus eſſet. Fides ergo in Ieſum Chriſtum, hæc eſt iuſtitiæ noſtræ fundamentum, ſuper quod ſi quid ædificauerimus, id ſtabile futurum eſt.

Hoc fundamentum fixum fuit, &

& immobile in Rege noſtro, ad extremum uſq; ſpiritum eius: Sicut exitus eius ex hac uita declarauit. Non uacillauit fides eius, non paſſus eſt ille ſe transferri ab eo, per quem uocatus erat in gratiã, in illud Euangelium. Quod non eſt aliud, niſi ſunt (dicit Paulus) qui uos cõturbant, & uolunt conuertere Euangelium Chriſti. Non paſſus eſt abduci ſe doctrinis uarijs & peregrinis. Ab ijs iuxta Pauli præceptum declinabat, qui facerent diſſenſiones & offenſiones præter doctrinam quam didicimus. Memor illius, quod ab eodẽ Paulo ſcriptũ eſt: Licet nos, aut angelus de cœlo euãgelizet uobis, preterq̃ euãgelizauimus uobis, anathema ſit. Sicut p̃diximus, &

Fides Catholica Regis

Gal. 1.

Heb. 13.

Rom. 16.

Gal. 1.

& nunc iterum dico: Si quis uobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit. Permanebat in fide fundatus, & stabilis & immobilis à spe Euangelij quod audiuerat, facile ut appareret, eum esse fundatum supra firmam petram. Et quoniam fidei comes indiuidua spes est, hac semper fuit in Deum fixa & stabili. Non ille in curribus & in equis, non in sextili Solis, nec in trino Iouis, sed in nomine Domini fiduciam suam collocabat, cui cum sciret nõ esse difficile saluare, uel in multis uel in paucis, parua sæpe manu, in solo Deo spe sua collocata, magnos exercitus uicit, fudit, fugauit. Quoties eum difficultates aliquæ premebant,

Col. 1.

Spes firma & fixa in Deo.

Psal. 19.

1 Reg. 16.

bant, non alio confugiebat quàm ad Deum, qui est scutũ omnium sperantiũ in se. Illi dicebat: Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: spes mea à iuuentute mea: propter nomen tuum educes me & enutries me. Educes me de laqueo, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus. Neq; eum spes unquam fefellit collocata in Deo, qui non deserit unquam sperantes in se. Sic autem ille sperabat, hæc temporalia, tanq; media quædam, per quę transeundum esset ad externa. Anchoram interea spei suæ figens in solo Christo, qui uita æterna, uita est sine fine beata. Hoc solo præ omnibus frui desiderabat. Ad fidem certam &

2 Reg 22.

Psal. 30.

Psal. 70.

 spem

ſpem firmã, quam in Chriſto defixerat, acceſsit maior horum charitas, quæ fidei, quæ uirtutũ om- 1. Cor. 13.
nium uita eſt. Sicut enim uita corporis eſt anima, per quam cor-
Gal. 5. pus mouetur & ſentit: Ita uita fidei charitas eſt, per illam enim fides operatur. Et ſicut anima recedente, corpus moritur, ita fides quoq; moritur charitate refrigeſcente: Sine qua nemo Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis
1. Cor. 12. peccare, nec poterit. Hæc eſt excellentior illa uia, quæ per ſe ambulantes ducit in patriam. Quæ recte uia uocatur. Nam ſicut ſine uia peruenit nullus quo tendit, ita ſine charitate non ambulare poſsũt homines, ſed errare. Neq; licet in patriam cœleſtem, niſi per

per uiam charitatis peruenire.

Quæ in Rege noſtro quanta fuerit, ex ijs quæ dici de eo hactenus audiuiſtis, coniecturam facere licet. Vnde enim uirtutes omnes, quas enumerauimus, niſi ex fonte manabant charitatis. Eius autem charitatis, quę eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Quam finem præcepti, quam plenitudinem legis, quam uinculum perfectionis uocat Paulus. Non ille ſibi ſe, ſed potius ijs, quibus præerat, natum eſſe putabat: Quin potius non ijs modo, quibus præerat, uerũ etiam humano, pręcipue uero Chriſtiano, generi uniuerſo. Omnes ille Chriſtianos haud aliter atq; membra ſua diligebat, memor illiꝰ. quod à Pau

Charitas Regis.

1. Tim. 1.
Rom. 13.
Col. 3.

Rom. 12. lo ſcriptum eſt: Sicut in uno cor-
pore multa membra habemus, ita
multi unũ corpus ſumus in Chri-
1. Cor. 10 ſto, ſinguli autem alter, alterius
membra. Itaq; non quæ ſua ſunt
quærebat, ſed quæ aliorum: non
ad ſuam priuatam, ſed ad publi-
cam omnium utilitatem, omnia
ſua conſilia, actiones omnes refe-
rebat: omnium hominum neceſ-
ſitates, ſuas eſſe neceſsitates repu-
tabat. Quicquid cuilibet homi-
num nociturum eſſet, haud aliter
atq; ſibijpſi nociturum propul-
ſare conabatur. Et homo cum
Charitas erga proximos. eſſet, Rex præſertim, nihil huma-
ni alienũ à ſe exiſtimabat, ſic enim
ille iudicabat, beluarũ eſſe ſibi ui-
uere, nec ſuas utilitates in commu
ne conferre: Ad homines uero,
Chriſtia-

Chriſtianos præſertim, pertine-
re maxime, ut haud aliter aliorũ
commodis atq; ſuis ipſorũ pro-
ſpectũ uelint neq; ſecus, aut pro-
ſperis aut aduerſis aliorum, quàm
ſuis ipſorum rebus afficiantur.
Vt ſit illud in corpore Chriſti, 1. Cor. 12
quod eſt in corpore hominis: Si
quid patitur unum membrum,
compatiuntur omnia membra:
ſiue gloriatur unum membrum,
congaudent omnia membra. Fe-
rarum enim eſt propriũ inuicem
perſequi, lacerare, perdere: ho-
minis contra excellentiæ nihil
magis conuenit, quàm ut alteru-
trum iuuent, inſtruant, ædificent,
& utilitatem communẽ tanquam
propriam, ac magis etiam quàm
propriam curent. Omnia itaque
G iij Dei

Dei bona, quibus, ut audiuiſtis, Rex noſter affluenter erat dotatus, non ad ſuam ille, neq; ad ſuorum tantũ, ſed ad totius Reipub. Chriſtianæ utilitatem cõferebat.

Cura pro omnibus

Non ſibi ille prudens fuit, ſed ſuis primum ſubditis, quibus præ cæteris tenebatur, deinde cæteris omnibus, Chriſtianis præſertim. Prima illi cura fuit de ſuorum commodis, ocio & tranquillitate, proxima de Chriſtianorum aliorum Regum & Principum, poſtrema uero de ſuis. Quamobrem quicquid illi Deus ingenij, quicquid conſilij, quicquid ſolertiæ conceſſerat: id ad ſuorum primum ſalutem, ſui ſecurus: deinde ad reliqui corporis Reipublicæ Chriſtianæ incolumitatem conſer-

conſeruandam conferebat. Si quando incendium aliquod non modo inter propinquos Reges & Principes, ſed etiã inter illos, qui longo interuallo à Regno ſuo diſiuncti eſſent, excitatum cognouiſſet: haud aliter accurrebat ad reſtinguendum illud, quàm ſi ſuos ipſius parietes ardere uidiſſet. Legatos illico mittebat, qui, ut arma ponerent, ne in ſua ipſorum membra ferrũ ſtringerent, ut ciuili bello abſtinerent, ut in barbaros potius coniunctas uires conuerterent, & à Chriſtianorum ceruicibus duriſsimam ſeruitutem repellere conarentur, pro uirili ſua perſuaderent.

Pro pace inter Reges & principes

Quæ ſollicitudo eius cum in alijs fere omnib9 Chriſtianorũ bellis,

 ut

Solicitudo eius de seditione Germanorum.

ut audiſtis, apparuit: tum in ea ſeditione maxime, quæ nuper in Germania fuit concitata. Quam ille non minore ſtudio, quam ſi in Regno ſuo coorta eſſet, reprimere ſtuduit, ſe enim lædi, ſe ſauciari, ſe premi interpretabatur, ſi quos Chriſtianos lędi accepiſſet: Quos eodem quo membra ſua loco habebat, omnes. Neque tamen in hac ſua charitate gradus quoſdam nō obſeruabat. Etſi eñ Chriſtianis omnibus honeſtiſsime cupiebat, non in alios tamen Principes effuſus fuit ſuauius, q̃ in Sereniſsimos & Excellentiſsimos fratres, Imperatoriã & Regiam Romanorum Maieſtates, quibus arctiore propinquitatis uinculo fuit coniunctus. Itaque cum

Charitas erga Cæſarem & Regem Romanorum.

cum falſus huc rumor allatus fuiſſet de infœlici Cęſa. Maieſtatis ſucceſſu, in proxima illa ſeditione Germanica, cum cætera ſanus eſſet, adeo tamen fuit perculſus, ut noctem illam totã inſomnem ageret. Poſteaquam uero lętiora ſunt illi renũciata, de rebus illius Maieſtatis ad uoluntatem fluentibus: et ſi maluiſſet pro ſua erga omnes Chriſtiana charitate, ſuum quemque ſtatum retinere, recreatus tamen eſt hoc nuncio accepto. Neq; uero laborare interea deſijt, ut qui exciderant gratia Cæſareæ Maieſtatis, reduci in eam poſſent.

Sicut autem prudens, ita & fortis fuit non ſibi, ſed ſuis primum: & in commune poſtea Chriſtia-

Fortitudo eius in charitate

 nis

nis omnibus, paratus omnia ſua,
quin & uitam etiam ſuam, Chri-
Ioan. 10. ſti boni paſtoris exemplo pro-
fundere, primum pro ouium ſua-
rũ, deinde pro totius ouilis Chri-
ſtiani ſalute et incolumitate: Adeo
uilia illi fuerũt omnia, uilis etiam
ſpiritus ipſe, pro eo quod in com
mune cunctis expediret. Quod ſi
maiorem charitatẽ nemo habet,
quàm ut animam ſuam ponat
Ioan. 15. quis pro amicis ſuis, quæ maior
eſſe poterit charitas, quàm fuit hæc?
Etſi enim re ipſa non poſuit, po-
ſuit tamen uoluntate. Neque alia
res eum tam fortem reddebat, quàm
Cant. 8. illa de qua ſcripſit Sapiens: For-
tis eſt ut mors dilectio. Ad eun-
dem modum & temperans ille
non ſibi tantum fuit, ſed ſuis om-
nibus

nibus primum, deinde in com-
mune toti Reipublicæ Chriſtia-
næ, & iuſtus ſimiliter. Nolo enim
ſingulis explicandis eſſe longior.
In ſumma, quicquid in eo fuit Dei
munerum, quæ fuerunt, ſicut au-
diuiſtis, maxima, non ijs quære-
bat quod ſibi utile eſſet, uerum
quod multis. Hoc enim ut faceret, 1. Cor. 12.
impulit charitas: quæ non quæ-
rit quæ ſua ſunt. Cum iuxta Dei 1. Cor. 8.
præceptum diligeret proximum Leuit. 19.
ſicut ſeipſum, quẽ diligẽdo Deum Purus
etiam diligebat, in quo pure co- Dei cul-
lendo, ad finem uſq; uitæ ſuæ ſum- tus.
ma cum conſtantiæ laude perſe-
uerabat. Cum nullus eo Prin-
ceps fuerit religioſior, difficile
eſt de animo alicuius iudicare,
quo ſolo Deus pure colitur.
Qui

Ioan.4. Qui cum sit spiritus, eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate
Rom.4. oportet adorare. Sed sicut inuisibilia Dei per uisibiles Dei creaturas cognoscuntur, ita & nos de inuisibili animo sine spiritu Regis
Gal.5. nostri, quo ille Deum pure colebat, non possumus nisi ex externis quibusdam & uisibilibus rebus iudicare. Certum est, non alia re Deum purius coli quàm fide, sed ea fide quæ per charitatem operatur. Fidem enim ipsam uidere non possumus, sed fructus & opera fidei uidemus. Hoc est quod di-
Iacobi 2. cit Iacobus: Ostende mihi fidem
Matth.7. ex operibus tuis. Est enim fides arbor illa bona, quæ fructus bonos facit. Fructus fidei qui fuerint in Rege nostro audiuistis.

Omnes

Omnes enim illæ uirtutes quas enumerauimus, fructus fidei fuerunt. Ad hæc accesserũt illæ, quas iustitias ipse Christus appellat, cum ex fide proficiscuntur: Ieiunium, eleemosyna, oratio. Nam si 1. Ioan. 5.
uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra est, his tribus maxime rebus ex fide profectis mundus uincitur. Omne enim quod est in 1. Ioan. 2.
mundo, aut est cõcupiscentia carnis, quæ uincitur ieiunio, & abstinentia: aut concupiscentia oculorum, quę uincitur eleemosynis: aut superbia uitæ, quæ uincitur humili oratione. His itaq; tribus ille rebus, ex fide & charitate profectis, uincere mundum, atq; ita Deum pie colere conabatur. Castigabat enim carnem suam, & 1. Cor. 9.

in

in seruitutem redigebat, ut ne rebellaret spiritui: neue impediret, quo minus Deum pure coleret.

Eleemosynæ Regis.

Deinde, quo magis propitium in membris suis Deum sibi redderet, necessitatibus sanctorum communicabat, ut faceret sibi amicos de mãmona iniquitatis. Memor illius quod à Christo dictũ est: Quicquid fecistis uni de minimis meis, mihi fecistis. Qua in re tam fuit liberalis, ut de illo dici recte potuerit, quod est in ea lectione, quam hodie uobis explicandam sumpsi: Eleemosynas eius enarrabit omnis Ecclesia. Domata carne per abstinentiam, & placato Deo per eleemosynas, tum primum ad orationem accedebat, leuando puras manus ad

Rom. 12. Lucæ 16. Matth. 25.

ad Deum. Quibus quidem orationibus, quotidie certis horis uacabat, sic enim à puero institutus erat: Quotidie sacrũ, quod Missam uocant, magna cum religione audiebat. Ac quoad per affectam & ætatem & ualetudinem licuit, quotidie templum ingrediebatur, dicẽs cum Centurione: Domine non sum dignus, ut intres sub tectũ meum. Indignum eñ illi uidebatur, quoad ferre uires potuerũt, ut in cõclaui eius, & non in eo potius loco, qui est proprie huic rei dicatus, sacrificium fieret. Sibi ille potius ad eum locum ueniendum esse putabat, non quod non orari posset omni in loco, sed quod quam domũ suã, quam orationis domũ appellat Deus,

Quotidiana Missa in domo Dei.

Matth. 8.

Esa. 56.

Deus, eam non esse sibi negligendam arbitraretur: quodque ad aliorum etiam pietatem prouocandam, non parum eam rem facere intelligebat, si Regem suum publico in loco populus uideret sacra audientē, & puras ad Deum manus leuantem.

Studium Regis in cultu diuino.

Nullum ergo diem intermisit Rex noster, quo non unam atque alteram horam sacris & orationibus uacaret: uerum id maiore cura festis diebus faciebat, quibus ceremonias omnes diligēter obibat, non sine magna animi sui delectatione. Omnes Ecclesiæ ritus & precationes, æque ut ipsi Sacerdotes tenere uisus est. Illam uero sacram hebdomadam præ cæteris diligēter obseruabat, qua summum

summum Iesu Christi passionis, & mortis beneficium recolitur. Totam illam non alijs quàm sacris in rebus consumebat. Mos illi fuit sancto Parasceues die, quo se pro nobis Christus in ara crucis sacrificium Deo Patri obtulit, ad tremenda illa mysteria accedere. Hunc uero diē cum nocte etiam præcedente in audiendo uerbo Dei, in eius beneficijs recolendis, in orationibus & uigilijs peregit. Prandium illi fuit panis & aqua. Quo sumpto, sicut Theodosium Imperatorem ante mille ducentos annos factitasse, in Ecclesiastica historia memoriæ proditū legimus, circumibat omnia orationum loca, & templa Deo dicata in memoriam sanctorum

Religio eius in die Parasceues.

 Martyrum

Martyrum obibat. Quibus & ipsis tanquam filijs, amicis, & membris Dei, debitum honorem impendebat, colebat enim & illos cultu suo: Non eo, qui soli debetur Deo, quem latriæ cultum uocamus, sed eo quem tribui pijs & sanctis hominibus oportet, quos Deus diuinitatis suæ participes facere dignatus est. Non eos largitores, uerum intercessores tantum agnoscebat. In montes quidem leuabat oculos suos, sed auxilium non aliunde, quàm à Domino sperabat, in quo solo possunt sancti, quicquid possunt. Neq; aliud in sanctis, nisi Dominũ ipsum laudabat, à Propheta admonitus, dicente: Laudate Dominum in sanctis eius.

Cultus sanctorũ

Psal. 120.

Psal. 150.

Quem enim laudas, quem inuocas, cum sanctum laudas & inuocas, nisi Deum ipsum? Tolle enim à Petro, tolle à Paulo, tolle à Stanislao, quod Christi Apostolus, Christi Martyr fuerit, quid erit in eo quod laudare possis? aut quis erit, qui eum inuocandum censebit? Deum itaq; laudat, qui sanctos laudat: Dei gloriæ detrahit, qui sanctorum gloriæ detrahit. Neq; uero sanctos ille tantum colebat, quos esse uiua membra Christi persuasum habuit: sed tanta in Deũ charitate ferebatur, ut quoslibet ministros eius, quãlibet indignos, paterna quadam beneuolentia prosequeretur. Nõ ille propter personarum uitia, suum sacro ordini honorem non

Honor sacerdotibus habitus.

tribuebat, neque qui essemus ipsi (Homines em̄ sumus, & hoc ipso peccatores) sed cuius ministerio fungeremur, attendendum putabat. Sicut uulgari Prouerbio, qui amat aliquem, is etiam catulo eius benigne facere dicitur: sic ille nos indignos Dei catellos, ob feruentem amorem, quo Deum prosequebatur, singulari quadam gratia et beneficentia fuit complexus, ut merito nobis quoq; dicere liceat, quod in libro Numerorum dixisse quosdam legimus: Pater

Num. 27. noster mortuus est. Neq; enim liberis suis maiore cura pater, q̄ ille nobis prospectum cupiebat. Nihil aliud, ut dixi, spectans in nobis, qua'm unum hoc, quod pro

2. Cor. 5. Christo legatione fungimur. Magna

gna sunt hæc eius erga Deū amoris documēta, quod nō eos modo qui sunt absque macula & ruga, sanctos & electos Dei, uerum etiam quamlibet indignos ministros Dei, ob hoc solū, quod ministri Dei essent, paterna quadam indulgentia prosequebatur. Sed non ijs finibus eius erga Deū ardens, charitas claudebatur: Quin & hoc pro uirili contendebat, ut quicunque ditionis eius essent, ij eundem quem ipse uerū Deo cultum exhiberent.

Itaq;, ne qua schismata aut hæreses in Regno suo existerēt, prouidebat. Annus agitur nunc uigesimus secundus, cum noui quidam motus Gedani essent excitati, contra diuinam primum, deinde con-

Contra hæreses uigilātia & zelus.

tra eius. Regiam Maiestatē: memoria tenetis procul dubio, quanta celeritate ad ſedandos eos accurrerit, quanta prudentia repreſſerit, quomodo miſericordia iuſtitiam temperauerit. De paucis enim ſumpto ſupplicio, quod aliter fieri non liceret, omnia nihilominus ciuibus reliquis integra permiſit. De nulla re magis ſollicitus, quàm ut ueterem Dei cultum in ciuitate reſtitueret, quod etiam non magno negocio perfecit. Iam illa edicta, ne quis in ea loca proficiſci, ubi transferuntur homines in aliud Euangelium, ne quis inuehere libros nouatorum auderet, quorſum pertinebant, niſi ut retineretur in Regno eius uetus religio & uerus

Edicta.

rus Dei cultus? Noluit ille diſputari de fide, ſed retineri tantum fidem uoluit inuiolatam, atque ijs quæ ſemel à ſancta Catholica, Apoſtolica Eccleſia decreta eſſent obtemperari. Idem enim iudicabat, quod Martianus olim Imperator: Iniuriam facere iudicio reuerendiſsimæ Synodi, ſi quis iudicata ſemel, ac recte diſpoſita reuoluere, & publice diſputare cō tenderet. Nam ſi quod ab unius alicuius Regni populo, approbante Principe, decretum eſt in Comitijs, id abrogari per priuatum aliquem fas non eſt: quanto minus fas eſt ea reſcindere, aut in dubium reuocare uelle, quæ unanimi conſenſu omnium gentium & populorum, qui Chriſti

Lex Martiani.

fidem profitentur, in sacris Conciliis œcumenicis constituta sunt. Quamobrem Gratiani, Valentiniani & Theodosii exemplo, cunctos populos, quos clementiæ suæ regeret Imperium, in tali uoluit religione uersari, quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso instituta declarat: quamque Pontificem Paulum tertium sequi claret: Cum Cypriano teste, non aliunde schismata oriantur & hæreses, quàm quod uni sacerdoti Christi uicem in terris gerenti, non obtemperatur. Babilon ibi sit necesse est, non Ecclesia, ubi noua cuique fidei dogmata statuere, & ea quæ statuta semel sunt, conuellere licet. Nam si quod rectum cuique

C. de summa Trin. L. 1.

Vna fides.

cuique uidebitur, id sentire de fide cuique liberum erit, non erit una fides: Quæ ab uno pendeat necesse est, si una esse debet. Cultus autem Dei uerus apud alios esse non potest, nisi apud eos, qui id ipsum sapientes, in alterutrum secundum Iesum Christum unanimes, uno ore honorificãt Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Roma. 15.

Multa alia dici possent, quomodo beatus hic diues noster, cum potuerit transgredi, transgressus non sit, cum potuerit facere mala, non fecerit. Sed ne simus longiores, hæc in præsentia dicta sufficiant, quomodo non est transgressus prudentia, memor illius quod scriptũ est: Prudentiæ tuæ pone modum: non est

Facere mala & nõ fecit.

Prou. 23.

est transgressus fortitudine, non est transgressus temperantia, non est transgressus iustitia, non declinauit in ijs omnibus in dextram aut in sinistram, sed incessit uia Regia: Fide, spe, charitate, Deum pie coluit. Ideo dicit Sapiens, cōcludens hanc lectionem: Stabilita sunt bona illius in Domino. Sicut stabilis fuit fides eius in Deum, ita stabilita sunt bona illius, bona corporis, bona fortunæ, bona animi. Concessit illi Deus hæc affatim omnia, & quidem fixa, firma, stabilia concessit, usq; ad extrema uitæ suæ tempora. Neq; temporalia modo bona illius stabilita sunt, sed multo magis illa æterna: quæ sola stabilia, hæc uero fluxa sunt. Vidistis qua

Stabilia bona eius.

qua fuerit incolumitate, quo robore, quanto æuo uixerit. Simul illud meministis, quot uictorias & triumphos de suis hostibus reportauit, quanta & quàm stabili ac perpetua fœlicitate in bellis usus sit: Quę gessit plura propemodum & maiora, quàm quisquam ante eum Polonię Regum. Quoties enim ille Tartaros, quoties Moschos, quoties Valachos fudit? Apud Sluscum tribus prę lijs, tres non contemnendos exercitus, Duce illo celebri Constantino: apud Visnouetiam uiginti quatuor millia, Nicolao Camenecio Palatino Cracouiensi, & eodē Cōstantino Ducibus, cum nostri sex milliū numerū non excederēt. Longum esset singulas uictorias enumerare,

Victoriæ eius de hostibus.

enumerare, quas tulit, apud Voronouiam, Ioanne Camenecio: quas apud Buſcum, Stanislao Lanſcoronio: quas apud Zincouiam Arcem, Iacobo Secignouio, atq; iterum Palatino Kiouienſi: quas in Volinia Conſtantino & Oſtapheo ter: quas apud Oſſacouiam hoſtilem Arcem, eodem Oſtapheo & Prædislao Lanſcoronio Ducibus. Quas in Podolia Trebinij, quas apud Camenecium & Vereſtatincium pagum, & compluribus alijs in locis, Nicolai Senauij Palatini Belſenſis, fratrumq; eius Alexandri & Procopij ac Bernhardi Prethſſicz opera: quas apud Trebowliam, Podhaiciam, Miedczibozum: quas apud Caniouiam in

in Lituania, ante unum & uiginti annos de uiginti ſex millibus Tartarorum cæſis, Duce Conſtantino reportauit. Valachos quoque ſtatim ut Regni gubernacula ſuſcepit, Turcarum & Tartarorum auxilijs tumentes, ac uictoria contra fratrem ſuum Ioannẽ Albertum elatos, prælio fœliciter cum eis commiſſo ita fregit, ut & amiſſam Pokuciam recuperaret, & redire ad officium Bohdanũ Palatinum, ac in ſua uerba iurare cogeret. Poſtea uero cum Petrus Palatinus rebellaſſet, ac denuo Pokuciam inuaſiſſet, primum ſex millia apud Guoſdeciam arcem, ac mox uiginti duo millia apud Obertinum pagum, Duce Ioanne Comite a' Tharnow, qui non plus

Victoriæ de Valachis.

plus quàm quatuor equitum habebat millia, ita uicit et fugauit, ut castris etiam exueret, uexillis simul & bombardis, ac cęteris impedimentis ereptis. Ex quo prælio uix ipse Palatinus fuga saucius euasit. Qui cum nihil hac suorum clade territus, annis aliquot post, iterum rebellasset, eiusdem Ioannis Comitis ductu Chocimij obsessus, atque eò demum redactus est, ut in fidem potestatemq́ꝫ Regiam se conferre cogeretur.

Victoriæ de Moschus.

Necꝫ uero contra Moschos minore fœlicitate usus est, quos primo suo aduentu in Lituaniā adeo perterrefecit, ut cum centum millium exercitum haberent, ex nostris uero tantū tria millia essent mercenariorum militum: neque ita

multi Lituani, pugnandi copiam facere non auderent, sed cum longe lateq̀ꝫ peruastari prouinciam suam uidissent, quas tulit Rex pacis cōditiones, eas precario susciperent. Iam uero quàm clara, & insignis illa fuit apud Orsam uictoria, ubi Constantino & Ioanne Szwirzouio Ducibus, octoginta millia Moschorum exercitus à nostris, qui erant numero longe impares, Boristhenem tranantibus, ita est profligatus, ut dimidia eorum pars uix fuga sit elapsa. Ductores exercitus capti, cum omnibus proceribus, & quatuor millibus bellatorum. Vt interim silentio prætercam, septem millia ad Poloscum cęsa, à Ioanne Boratinio sexcentis modo

modo comitato: ante tredecim annos, mille extremi agminis Lituaniam populantes, interfectos: & sub idem tempus apud Starodubium, Radogostiam & Smolenifcum non paucos trucidatos, ductu Georgij Radziuil Castelani Vilnensis. Illud uero taceri nõ potest, quomodo post Radogostiã et Homiam captam, Starodubium à nostris expugnatum est, Ioanne Tharnouio Duce. Fuisse dicuntur in arce plus quindecim millia bellatorum, qui si in aciem descendissent, cum nostri essent numero impares, anceps prælium commiti potuit. Arx nihilominus à nostris euersa, & plus mille quingenti uiui capti sunt. Res prodigiosa, quod, cum esset

esset maior numerus obsessorum quàm obsidentium, uicerint obsidentes. Contra Turcas nihil gessit memorabile, nisi si quando ij Tartaris permixti fuerũt. Porro Prussicum bellum quanta fœlicitate confecerit, uel ex eo coniecturam facere licet, quod nepos eius, qui hic adest, fractus ad extremum, cum terra sua uniuersa, contra uoluntatẽ suam, in fidem eius una cum terris suis omnibus se contulit: dato etiam iureiurando, quod cum ipso, tum successores eius omnes, sempiternis temporibus, in fide Poloniæ Regũ sunt futuri. Videtis ergo quę bona illi Deus concesserit, neq; concesserit modo, uerum etiam stabiliuerit, ut recte de eo dicere possimus: Victoria de Prussis

Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino. Propria enim & perpetua fuit hæc illi fœlicitas, neq; eam ulla fere clades interpellauit præter Socalienſ. illam, ubi cum exercitus noſter, qui ex quatuor millibus cōſtabat, a' quadraginta millibus Tartarorū fugatus eſſet, mille & ducenti ex noſtris, ex hoſtibus quater mille ſunt deſiderati. Neque uictoriæ tantum eius ſtabilitæ ſunt, ſed etiam ſtabilitum eſt nomen eius bonum, quod eſt melius qua'm diuitiæ multæ. Stabilita eſt gratia mortalium omnium, qua credibile non eſt, quantum apud cunctos ualebat, non ſuos magis qua'm exteros: uix ut ullum reperire Principem licuerit, in quem unum totius pa-

Clades unica.

Prou. 22.

Stabilita apud omnes ſubditos eius gratia.

triæ, optimatum, Regum, Gentium, atq; orbis prope totius ſtudia tanto ardore, tamque fatali quadam beneuolentia conſenſerint, uel potius cōcertarint. Neq; enim efficacius Magnes ferrum attrahit, qua'm ille mentes omnium mortalium in ſui charitatem rapiebat, non alia re niſi uirtutum commendatione. Vt non minus recte Rex hic noſter, qua'm Titus Imperator olim, orbis amor appellari potuerit, quem cōſtat cōmune gaudium Gentium omnium, unicas ſeculi ſui delitias, & fatalem quendam Regum & principum amorē fuiſſe. Fuerat illi initio Maximilianus Cæſar offenſior, qui cū arcta cum illi neceſsitudo ſanguinis interceſsiſſet,

Orbis amor.

Maximilanus Cæſar.

propter matrē ex Auſtriæ domo profectā, minime dubitauit Rex optimus nullius rei magis quàm amicitiæ cupidus, unà cum fratre ſuo Vladislao, Hungariæ & Bohemiæ Rege, & eius filio Ludouico, ad Maximilianum ipſum Viennam Auſtriæ proficiſci, comitatu numeroſo & ſplendido, planeq; Regio. Non defuerunt, qui deterrere utrunque Regem à profectione in Auſtriam conarentur, quod inſidias metuendas ducerent: & iam id perſuaſum erat Vladislao fratri. Cæterum Sigiſmundus hic noſter, ut aliquid eiuſmodi crederet, adduci nō potuit: ac forti, generoſo, uereque Regio animo, etiamſi deſertus eſſet ab omnibus, tamen ſe uel ſolum

Cōuentus Regū Viennæ.

lum in conſpectum Cæſaris uenturum, & Viennam ingreſſurum oſtendit. Qua ſua conſtantia fratrem etiam ſuum, quem ętas affecta timidiorem effecerat, adduxit, ut ſe Cæſari crederet. Cum quo ſimul ut congreſsi ſunt, non ſolum animorum omnis offenſio ſedata, uerumetiā affinitas noua inter Reges conciliata eſt, qua inſtituta, inter eos amicitia confirmari poſſet. Neptem enim ſuam ex filio, Caroli & Ferdinandi Cæſarum ſororem, Ludouico in Matrimonium dedit. Neque fuit poſtea Maximiliano quiſquam Regum & Principum charior, quàm Rex ille noſter Sigiſmundus: Cuius amicitię cum hoc Rege noſtro conſtitutæ.

Amici-
tia cum
Carolo
et Ferdi-
nando
fratribus

Nepotes etiam ſuos datis in eam rem literis, quaſi hæredes inſtituit. Quibus cum & ipſis tanta fuit Regi noſtro amicitia, maior ut eſſe non potuerit. Siquidem Ferdinandus Roman. Rex filiam ſuam Elizabetham, qua nullam uidit ætas hæc noſtra fœminam ſanctiorem, Regi huic noſtro ſuperſtiti uxorem dedit. Quæ ante diem mortua, & ſancto illi patri, & huic eius filio Regni ſucceſſori, triſte ſui deſiderium reliquit, ac omnes Regni ordines mœrore confecit incredibili. Quo pignore amicitiæ amorisque mutui ſublato, nihil eſt tamen de mutuo Sereniſsimorū Cæſarum & Regum noſtrorum amore diminutum: eadem fuit illius gratia,

tia, par authoritas. Neque enim fortuito aut impetu quodam & ardore iuuenili, ſed uirtutum admiratione, hæc fuit inter illos amicitia conciliata, ut non potuerit non eſſe fixa & ſtabilis, ac ad ultimum uſque uitæ diem duratura. Neq; minore illius amore incenſi fuerunt reliqui Germaniæ Principes omnes, qui haud aliter atque patrem Regem hunc noſtrum uenerabantur. Cuius nomen non in finitimis modo Regnis clarum & charū fuit omnibus, uerū etiam & remotioribus illis. Nam & à Galliæ & Angliæ & Daniæ Regibus colebatur. In urbe uero apud Summum Pontificē, communē Chriſtianorū Regum omniū parentem, tanta fuit

Amicitia
cū Prin-
cipibus
reliquis.

illius authoritas, ut uix alterius cuiusquam Regis maior. Amabatur à Cardinalibus, apud omnes fere Italiæ Principes in summa fuit ueneratione. Magna sunt hæc bona, quæ non ad horam concedere, sicut multis: sed stabilire Deus dignatus est, ut ad uitæ suæ diem extremum ea conseruauerit omnia. Quam & ipsam uitam stabiliuit in eo Dominus, & in multos annos produxit.

Rex longæuus.

Mortuus est enim Senex & plenus dierum. Vixit annis octoginta & uno, mēsibus tribus. Regnauit annis quadraginta uno, mensibus duobus, diebus septem, ut nunc uerius etiam quàm Iacob olim dicere possimus: Dies peregrinationis uitæ nostræ, paucos &

Gen. 47.

& malos esse. Fuit ætas hæc satis longa, ut si quid interest ad beatitudinem diu uixisse, hac quoque in re beatus fuerit, ut recte bona illius in Domino stabilita dici possint, quibus ei tam diu frui, uel uti potius contigerit. Nec enim fruimur temporalibus his, sed utimur. Quibus uero frui debemus, ea æterna sunt. Hæc uero maxime stabilita sunt in eo per Dominum. Nam cum temporalibus his recte usus sit, dedit ei Dominus bona, quibus frueretur, uitam æternam, uitam beatam, gloriam æternam. Cuius rei non modo uita eius honestissime acta, sed & exitus ex ea gloriosus, tam certum argumentum est, ut certius esse queat nullum. Nam si uerum est

Bona æterna.

illud, sicut non potest non esse uerum, quod dicit scriptura: Dominus iudicabit fines terræ, hoc est (ut interpretatur Augustinus) extrema hominis opera, uidete quæ fuerint extrema illius opera, & de salute illius æterna dubitate. Extrema illius opera fuerunt, opera fidei, quæ nos de salute nostra reddunt certiores, quàm ut de ea dubitare fas sit. Habemus enim promissum Dei, quo nihil esse potest certius: Cum Deum impossibile sit mentiri. Amen amen dico uobis (dicit ueritas) qui credit in me, habet uitã æternam. Cum itaq; Rex hic noster pœnitens in fide & confessione Christi obdormiuerit, cum suam omnẽ fiduciam, non in suo, sed in Christi

1. Re. 2.

Heb. 6.

Ioan. 2.

Christi passionis & mortis merito collocauerit, poterit ne quisquam dubitare, quin huius Christi promissi factus sit compos? Non ille fidebat in operibus suis, quamlibet enim bona sunt opera nostra, bona tamen & grata esse desinunt, simul ut nobis in illis placere, & spem nostram in illis ponere incipimus, quę nobis non in alio esse debet, quàm in morte Domini nostri. Mors enim Domini nostri Iesu Christi, meritũ nostrũ est, refugium nostrum, salus, uita, & resurrectio nostra. Meritum nostrũ est miseratio Domini, qui nisi perpetua charitate dilexisset, atq; ideo per Filij sui unigeniti mortẽ attraxisset nos, miserãs, opera nostra cõdẽnare nos possẽt, saluare

Non fidendum in nostris operibus.

Hie. 31.

ſaluare non poſſent, quamlibet etiã ſancta uiderẽtur. Hoc cũ non ignoraret Rex noſter, qui à puero ſana Chriſti doctrina diligen-
Lucæ 17. ter fuit inſtitutus, etiãſi fecerat omnia pro uirili ſua, ſeruũ ſe tamen inutilem reputabat: Et quoniam
Rom. 8. non ſunt cõdignę paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, ad paſsionẽ illius, ad fuſum pro nobis ſanguinem illius, confugit: qui iuſtificatio noſtra, qui propitiatio noſtra, qui ſatisfactio noſtra fieri dignatus eſt, ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Crucifixi ſimulachrum. Cuius cum crucifixi Simulachrum exhibitum illi fuiſſet, ſicut exhiberi morituris de recepto Eccleſiæ more conſueuit, ut diſcant, neq; fidere operibus ſuis bonis, neq;

neq; deſperare propter admiſſa mala, ſed certã ſpem & fiduciam in Chriſto collocent crucifixo, in ipſo reſpirent, in ipſo confiſi, ad ipſum peruenire deſiderent: non habentes iuſtitiam ſuam, ſed eam Philip. 3.
quæ eſt ex Filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Hoc ergo ſignum crucifixi cum oculis eius ſubiectum fuiſſet, credibile non eſt, quanta illud animi ſui deuotione exceperit. Quem extendiſſe manus in cruce pro ſe, & pro nobis peccatoribus uiderat, ut ſe ad amplexus noſtros eſſe paratum oſtenderet, eum & ipſe amplexatus eſt, & uulneribus eius fixo oſculo, non dubio ſignificauit, ſe in illis reſpirare, & certo confidere, per illa ſibi aditum eſſe ad

ad Regnum cœloru̅ patefactum.
Confes- Accersito itaq; sacerdote, summa
sio pecca cum animi sui contritione peccata
torum. sua omnia confessus est, ut mini-
sterio sacerdotis, cui ligandi sol-
Matth. 18 uendiq; potestas data est, uirtute
uero Christi, cuius ille personam
gerit, beneficium remissionis pec-
catorum, & certissimam consola-
tionem reconciliationis conse-
quutus, eius rei pignus etiam acci-
Pignus peret Eucharistiæ Sacramentum,
uitæ æ- quod non modo remissionis pec-
ternæ. catorum, sed et immortalitatis, et ui-
tæ æternæ pignus est. Neq; n. alio
pignore Christus de tantis bonis
certiores nos reddere potuit, q̄
impertitione sui preciosi corpo-
ris, inæstimabilis utiq; thesauri,
quo nos sibi tanquam membra
adiungit,

adiungit, ut ubi ipse est, ibi & nos
simus. Hoc pignore accepto, cum
se iam uideret extrema illa in lu- Extrema
cta constitutum, quo fortius resi- unctio.
stere posset Sathanæ tentationi-
bus, quas tum ille potissimum ca-
teruatim ingerere solet, iuxta præ-
ceptum Apostoli, Presbyteros Iac. 5.
Ecclesiæ induci iussit, & orare su-
per se, ungentes oleo in nomine
Domini, ut hoc quoque signo,
Christi membru̅, Christi factus
athleta, tanto facilius expellere à
se posset Principe̅ huius mu̅di im Ioan. 12.
mundu̅ spiritu̅, quem foras Chri-
stus eiecit, ut non haberet quicq̄
in nobis, cum nulla sit conuentio 2. Cor. 6.
Christi cum Belial, nullus con-
sensus templo Dei cum Sathana.
Atq; eo expulso, tanto maiore cu̅
fiducia

fiducia diceret: Bonum certamen
2. Tim. 4 certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus Iudex. Quam ille proculdubio consecutus est, cum tot habuerit à Deo certissima fiduciæ suæ signa, ac testimonia. Nempe Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & hoc extremæ unctionis, quibus Deus nequaquam nos fallit, sed promissioni suæ assistens, facit ac perficit etiam omnia, quæ in eorundem exhibitione nobis pollicitus est.

Sacerdotum præsentia circa morientē

Quanta autem eius fuerit fiducia, uel ex eo licet colligere, quod cũ admoniti Sacerdotes fuissent, ut ex cubiculo exirēt, si forte som-

num capere posset: simul ut exiuisse eos cognouit, è uestigio reuocari iussit, quod eorum præsentia, qui personam Ecclesiæ repręsentarēt, se fortiorem contra Sathanæ insidias fore putaret. Modo non dicens illi: Etsi multis satellitibus stipatus, in animæ meę excidium coniuratis, comparéas, non te timeo tamen, non te metuo. Plures enim mecum sunt 4. Reg. 6
quàm tecum. Tota enim Ecclesia sanctorum pro me curam agit, orat, meq́ꝫ in tutelam suam recipit: aduersus quam non præualituras inferi portas Christus di- Matth. 16
xit, qui fallere nescit. Totam itaqꝫ noctem illam cum suis sacerdotibus, quorũ intercessioni fidebat, & quos dilexit usqꝫ in finem, non

alia in re nisi in orationibus, & sacris lectionibus, maxime uero Dominicæ passionis recitatione, ex qua consolationem non mediocrem capiebat, consumpsit. Subinde cum illo Publicano pectus suum tundens, ac Deũ orans, ut sibi propitius esse dignaretur.

Lucæ 18.

Neque obscure illud ferens, quod cuperet iam dissolui & esse cum Christo. Illuxit tandem dies illa, qua Christi resurgentis memoriam recolimus: hac ille, intra Missarum solennia, luctu omniũ & mœrore incredibili spiritum emisit. Vbi nunc sapiens & potens ille Rex noster Sigismundus? Vbi opes eius? Vbi diuitiæ? Vbi splẽdor? Vbi comitatus Regius? Vbi Maiestas eius et gloria? Ecce

Philip. 1.

Exitus uitæ in die Paschæ.

Ecce quomodo transierunt omnia illa tanquam umbra, tanquam nuncius præcurrens, tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, nõ est uestigium inuenire, neque semitã carinæ illius in fluctibus. Tanquam auis quę transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentũ itineris illius, sed tantum sonitus alarũ, uerberans leuem uentũ, & scindens per uim itineris aërem: cõmotis alis transuolauit, & post hoc nullũ signum inuenitur itineris. Tanquam sagitta emissa in locum destinatũ, diuisus aër continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius. Tanquam lanugo, quę à uento tollitur, tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: tanquam fumus, qui à

Sam. 5.

Similitudines uitæ transitoriæ.

K ij uento

Iacob. 4. uento diffusus est: tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Sic & nos nati, continuo desinimus esse. Quę enim est uita nostra? Vapor ad modicum parens, deinceps exterminabitur.
Iob. 20. Velut somnium auolans non inuenietur, transiet quasi uisio nocturna. Dormierunt somnum suum,
Psal. 75. dicit Propheta, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarũ in manibus suis. Omnis caro fœnum,
Esa. 40. (dicit alius) & omnis gloria eius
Iac. 1. quasi flos agri. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, & decor uultus eius deperijt: Ita & diues in itineribus suis marcescet.

Vanitas uanitatũ Recte ergo Ecclesiastes cum ratione scrutatus esset humana omnia, diuitias, delitias, potentiam, gloriam

gloriam instabilem, sapientiam, quæ fuit magis, quàm ut teneri possit: Veneris uoluptates, hortorum amænitates, turbam seruorum, multitudinem possessionum, pocillatores, cãtores, arma, satellites, gentes subactas, tributa, imperata, fastũ Regium, hanc de cunctis profert sententiam: Vanitas uanitatũ, & omnia uanitas. Finem tandem loquendi faciens: Deum, inquit, time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo. Ad hæc, inquit, natus est omnis homo, in hoc salus consistit omnium & perfectio: si creatorem nostrum intelligentes, ueneremur eum metu & honore, & mandatis exequendis. Cętera cuncta fumus quidam sunt, uel ut qui- Eccles. 2.

dam dixit, umbra fumi. Nihil est in rebus humanis stabile, nihil diuturnum, nihil de quo uel crastinum sibi quisquam polliceri queat. Quæ cum ita sint, quid est Serenissime Rex Auguste, quod luctu, quod mœrore, quod lachrymis te conficias? Quæ tibi mœstitiæ huius causa est? Num quod ille fluxa hęc & caduca ęternis cõmutauit? Num quod curis, quod morbis, quod grauibus totius corporis cruciatibus liberatus est? Num ꝙ mortẽ reliquit, & immortalitatẽ induit? Quid enĩ est uita hæc nostra nisi mors? ut non sine causa Paulus exclamauerit: Infœlix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Corpus hoc quod corrũpitur, quod aggra-

Consolatio ad filiũ Regis Regni.

Vita hæc mors est.

Roma. 7.

Sap. 9.

aggrauat animas nostras, uocat Apostolus corpus mortis, quod in eo nihil aliud ꝙ morimur quotidie. Nam quotidie pars aliqua uitæ demitur, & tum quoq; cum crescimus, uita decrescit. Moritur infantia nostra, succedente pueritia: Moritur pueritia, succedente adolescentia: Moritur adolescentia, succedente iuuentute: Moritur iuuentus, succedente uirili ætate: Moritur uirilis ætas, succedente senectute: Moritur senectus, moritur morboꝝ omne genus, moritur quicq̃d est dolorũ, quicquid cruciatuũ, quicquid afflictionum, quicquid incommodorum in hac uita, succedente uita illa immortali: ad quam non patet nobis aditus, nisi per mortem corporis

 huius,

huius, ut non ſine cauſa tam arden
ter Paulus cupiuerit, de corpore
mortis huius liberari. Quod Da-
uid etiam carcerem uocat, dicens:
Pſal. 141. Educ de carcere animam meam
ad confitendum nomini tuo. Di-
xit hæc eadem uerba Dauid, no-
ſter pius & mãſuetus Rex, noſter
Sigiſmundus. Cupiebat & ipſe
liberari de corpore mortis huius,
Philip. 1. cupiebat educi de carcere carnis
huius animã ſuam, deſideriũ ha-
bebat diſſolui & eſſe cũ Chriſto.
Non lugenda fœlix mors Regis. Cuius uoti ſui cõpos factus cũ ſit,
mœrendum tibi non eſt Rex Au-
guſte, ne ſummã fœlicitatem hanc
eius, non ſatis grato animo inter-
pretari uidearis. Fruitur enim ille
iam eo, in quem credidit, quem
amauit, eo qui uita eſt æterna, uita
ſine

ſine fine beata, Domino noſtro
Ieſu Chriſto. Noli putare, temere
aut fortuito factum eſſe, quod ſa-
cratiſsimo Paſchæ die ex hac uita
exceſſerit. Quid enim aliud Pa- Paſcha.
ſcha Græce, quod Phaſe uocant
Hebræi, quàm tranſitum ſignifi-
cat: Tranſitum aũt populi Iſraël
ex Ægypto ad terram lacte &
melle fluentem. Sub hunc diem ui
ſum eſt Chriſto, ut ipſe quoque
tranſiret de mundo ad Patrem.
Quo ergo tempore tranſiuit po-
pulus Iſraël ex Ægypto ad terrã Exod. 12.
promiſsionis, quo tempore ſer-
uator noſter Ieſus Chriſtus tranſ Ioan. 13.
iuit de mundo ad Patrem, eodem
tempore Princeps hic noſter, &
maximus in Iſraël, tranſiuit ex
Ægypto huius ſæculi, ad pro-

 miſſam

Ioan. 5. missam pijs omnibus cœlestẽ patriam: transiuit de morte ad uitam, non suis meritis, sed illius promissione fretus, qui dixit: Ibidem. Amen amen dico uobis, qui uerbum meum audit, & credit ei, qui me misit, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, sed transiet de morte ad uitam. Hoc ergo pascha, transitum hunc de morte ad uitã, uoluit hoc die cum Christo resurgente Princeps noster celebrare. Nec amisit ille Regnũ, sed commutauit: terrenum cœlesti, dissolubile indissolubili, caducum ęterno. Regnũ enim illius Dan. 3. quod nunc possidet, regnum est sempiternum.

Bona cõmutatio Regni.

Diadema. Regem quendam huius sæculi, traditum sibi diadema, priusquam

quam imponeretur capiti, diu consyderasse, ac dixisse tandem ferunt: O nobilem magis quàm fœlicem pannum, quem si quis penitus cõsyderauerit, quam multis sollicitudinibus, & periculis, & miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere uellet. Abiecit hoc diadema Rex noster, & suscepit illud, quod plenũ gaudiorũ, plenũ fœlicitatis, plenũ est ęternę beatitudinis. Posuit Dominus super caput eius coronã de lapide precioso: coronam auream, Psal. 20: expressam signo sanctitatis, im- Eccle. 54. marcessibilem gloriæ coronam, 1. Pet. 5. quam ab eo nemo auferre poterit. Hoc in statu cum sint res diui parentis tui, qui non obijt, multo minus autem interijt, sed

ſed fatigatus uitę huius moleſtijs, abijt ex hoc Regno ſuo, in Regnũ aliud multo fœlicius: diſceſſus hic eius, non lachrymis & miſericordia, ſed beneuolentia potius tibi perſequendus eſt. Hoc te Paulus quoque monet, dicens: De dormientibus non contriſtemini, ſicut cæteri qui ſpem non habent. Si eñ credimus, quod Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo. Dormiuit pater tuus per Ieſum, dormiuit cum Ieſu, dormiuit in fide & confeſſione nominis Ieſu. Noli ergo dubitare, quin ſicut reſurrexit Chriſtus primitię dormientium, ita reſurrecturus & ipſe ſit in nouiſsimo die. Quin tu potius poſthabito

Non contriſtandum de morte.

1. Theſ. 4

1. Cor. 15.

habito luctu, ad imitationem eius te compara, quem ex hac uita diſcedentem tantum ſui deſiderium reliquiſſe uides omnibus. Vt cum eum in te uiuentem uiderimus, dicere poſsimus illud quod ſcriptum eſt: Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus. Similem enim reliquit poſt ſe. In uita ſua uidit, & lætatus eſt in illo, & in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis.

Eccle. 30.

Reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. In hanc tu curam & cogitationem toto (quod aiunt) pectore incumbe, ac omnibus modis contende & elabora, ut ereptum nobis eſſe patrẽ tuum ſcire magis ꝗ̃ ſentire queamus.

Vt filius imitetur patrem.

Quod

Quod ita demum futurum est, si cunctis in rebus eum imitandum tibi proposueris, si prudentiam illius, si fortitudinem, si moderationem animi, si grauitatem, si benignitatem, si clementiam, si mansuetudinem, si iustitiam, si in eadem, qua ipse præditus erat, fide & religione, constantiam ita expresseris, ut patrem in te tuum uiuere existimemus. Quam quidem ad rem pluribus ex hoc loco te pro officio meo pastorali hortarer, nisi te ultro currentē uiderem, ut incitari à quoquam opus non habeas. Ad te itaque mihi sermo nūc est serenissima Regina, quam in graui luctu & mœrore positam esse uideo, quod quem indiuiduū uitæ tuæ comitē habere cupiebas, ab

Consolatio ad Reginā.

ab eo diuulsa nunc es, ut merito tu dicere quoque possis, quod dixit ille: Siccine separat amara mors? 1. Reg. 15.
Neque em̄ uirum illa à coniuge, sed animam separauit à corpore tuo. Quid enim ille fuit tibi, nisi quod est anima in corpore tuo? Quam tu (quę tua cunctis sęculis fuit memoranda fides erga eum & charitas coniugalis) libenter positura fueras, si morte tua salutē illius repręsentare potuisses. Quę quantę curæ tibi fuerit, uidimus oēs. Vidimus aūt, nō sine magna quadam uirtutis tuæ admiratione. Quid em̄ à te curæ, diligentiæ, & laboris prætermissum est, in tuenda & conseruanda illius ualetudine, prę qua tu tuam cōtemnere prorsus uisa es, Quid de te fieret nihil sollicita,

sollicita, dum Regi & coniugi tuo dilectißimo recte esset. Qui cum leui etiam aliqua ualetudine affectus esset, totos illi dies aßidebas, totas noctes insomnes agebas, et Reginā te esse oblita, ancillari officio fungebare, dum omni ratione uitæ illius prospectū cupiebas. Quam certum est, multos in annos Dei quidem benignitate primum, sed tua postea solius opera productam esse. Quam & nos certæ uitæ nostræ temporibus libenter fulciuissemus, ut de nostris annis uiueret, qui fungi non potuit suis.

Heb. 6. Ne lugeat Regina.

Sed cum statutum sit hominibus semel mori, neq; mortalium quisquam ab hac lege sit exceptus, si & ipsæ naturæ huic legi satisfecit,

cit, cui ut satisfaceret omnino fuit necesse, quid est quod te maceras? quid est quod luctu mœroreq; te conficis? quid est quod diuinæ uoluntati, quasi resistere frustra uelle uideris? Quam refragante quantumlibet homine, fieri tamen oportet. Quin tu potius, quod Deo statuere de tuo charißimo coniuge uisum est, fer æquo animo: Cum præsertim, non modo nihil ei mali acciderit, sed post multa mala, quæ uiuens pertulit, nunc demum ueris & æternis bonis ei frui datum est. Itaque quod illius causa doleas, nihil est: est potius quod uel maxime læteris. Tua autem causa si dolendum putas, uide ne hoc teipsam potius, q̄ bene meritum

coniugem amantis esse uideatur: neue nõ tam ad illius amicitiam, quàm ad domesticam utilitatem, luctum hunc tuum referre existimeris. Quanquam nec tua causa quod doleas habes. Mortuus est enim maritus tuus, & quasi non est mortuus, similem enim sibi reliquit post se. Reliquit morũ, uirtutumq́ꝫ suarum uiuum quoddam simulachrum. Reliquit defensorem domus, qui te quoque tueri contra uim cuiussuis & iniuriam, non minus est uoluntate promptus, quàm facultate paratus. Quare cum nec illi acerbitatis aliquid acciderit, nec tu ex eius hac migratione quicquam incommodi detrimentique acceperis, non tu lachrymis eum tibi prosequendum,

quendum, sed orationibus potius tuis Deo cõmendandum putes.

Consolatio ad filias Regis.

Quod uero matri dictum est, hoc quoque uobis Illustrissimæ Principes dictũ existimetis. Non est mortuus pater uester, sed è sene iuuenis factus est. Ecce pater uester, ecce frater uester, ecce Rex uester, eadem est erga uos eius uoluntas, quæ fuit diui parentis uestri, eadem est & potestas. Non minus uult adiutas rationes uestras, quàm uoluit diuus parens, neqꝫ potest minus: Quin potius, quanto est ætas eius aptior, quanto mens uegetior, ad ea perficienda quæ de uestris commodis per diuum patrẽ uestrum cogitata fuerunt, tanto plus uobis de eius benignitate polliceri

 potestis,

potestis, tanto minus habetis; quod uestra causa excessisse ex hac uita patrem uestrum lugeatis. Imponet hic Deo bene iuuante, lætum & optatum exitum, ijs que per diuum patrẽ cœpta fuerunt. Quare seposito luctu Deũ illi propitium modo precemini, cuius opera factum est, ut suauissimam hanc lucem primum aspiceretis. Vos quoq; nunc alloquor Serenissimi & excellentissimi fratres, Orthodoxæ fidei propugnatores acerrimi: Vos inquam, alloquor, etsi absentes corporibus, præsentes tamen animo, præsentes in uiris ornatissimis, quos ut personas uestras sustinerent, & sancti Regis nostri exequias cohonestarent, huc pro

Ad Oratores Cæsaris & Regis Rom.

pro uestra erga defunctum pietate, misistis: sat scio, cum esset ad uos de morte illius allatum, quod opinione omnium maiorem animis dolorem accepistis. Nam cum nullum in terris uobis ille chariorem habuerit, fieri non potest, quin ipse uobis uicissim fuerit charissimus. Sed quid ego hæc tanquam addubitãs loquor, cum sicut ille suæ in uos, ita uos uicissim uestræ in illum egregiæ uoluntatis, signa dederitis certiora, quàm ut quenquam de ea dubitare fas sit:

Nisi forte certiora signa ulla esse possunt, quàm quod uterque frater Neptem filiamq; suam filio huic eius superstiti uxorẽ dedit. At quam uirginẽ: qua nulla

Elizabetha filia Ferdinandi.

fuiſſe uidetur in orbe terrarũ le-
ctior, nulla ſanctior, nulla omni
uirtutum genere cumulatior. Vt
de forma taceam, qua ſicut puri-
tate uitæ, cum ipſis etiam Ange-
lis certare poſſe uidebatur. Quæ
cum ita Deo iubente ex hac uita
incredibili cum luctu omniũ ex-
ceſsiſſet, atq; ingens ſui deſideriũ,
primũ coniugi ſuo Regi huic no-
ſtro, deinde nobis omnibus &
ſingulis reliquiſſet, nihil ea tamen
re de ueſtra erga utrunq; beneuo
lentia diminutum eſt. Certum
igitur eſt, quod non mediocrem
ex eius hac migratione luctũ hau-
ſeritis, quem propter ingraue-
ſcentem eius ætatem patris in
loco colebatis. Documento ſunt
Regio ſumptu & apparatu per
uos

Ad Cæſarem & ad Regẽ Rom.

uos Auguſtæ iuſta, in magna
magnorum Principum celebri-
tate, ſummo cum honore, opti-
mo Regi noſtro perſoluta. Ve-
rum & uos ponite mœrorẽ. Eue-
nit enim quod ſcriptum eſt: Pro
patribus tuis nati ſunt tibi filij.
Amiſiſtis uos quidem non ætate
magis, quàm charitate patrem,
ſed pro patre natus eſt nobis fi-
lius, qui ſicut uos patrem eius,
haud aliter ac ueſtrum colebatis,
ita colet ipſe uos uiciſsim, neque
ullum obſequentis officiũ filij in
ſe requiri patietur, ut expreſſam
in eo patris imaginẽ cernere quea
tis. Hoc ipſum uobis perſuadete,
uos quoque Illuſtriſsimi Princi-
pes, quorũ unus ꝓ auũculo fratrẽ,
alius ꝓ magno auũculo, auuncu-

Pſal. 48.

A i reli-quos Princi-pes.

lum nactus est. Nihilo minore futurus est in uos beneuolentia, Rex hic noster, quem præsentem intuemini oculis, quàm fuit ille, qui nuper in Christo obdormiuit. Nihilo minore studio rationes utriusq; uestrum, pro uirili sua, uolet adiutas, quàm uolebat diuus parens. Illius itaque causa cum nihil sit quod doleatis, quem ad sedes beatorum translatum esse pie credimus, quandoquidem nec uobis ex eius morte quicquam euenit incommodi, quum eadem omnia quæ ab illo, ab hoc filio eius sperare possitis & expectare, causa non est, quamobrem angi animis uelitis, quod eũ de præsidio statione'q; uitæ huius, summus Imperator ille noster

Deus

Deus optimus maximus, decedere iusserit. Cæterum præ alijs te anxio & sollicito animo esse uideo, Princeps Episcoporum & Sacerdotum, & huius Regni primas. Ad te enim, & ad nos qui tibi sumus à suffragijs, quin ad uniuersum potius ordinem sacerdotum, incredibilis tam sancti Regis morte mœror peruenit: Cum non Regem ac Dominum, sed patrem beneficentissimum amisisse noster hic ordo uideatur. Quis enim hoc uno nostri amantior? Quis unq; fuit Rex, qui ministros Dei magis obseruaret? qui commoda eorum diligentius procuraret? qui iura & priuilegia defenderet acrius & propugnaret? offendebant eum

Ad Archiepiscopum.

 eadem

eadem in nobis, quæ multos offendunt. Fatēdum enim est, quod res est, quod in multis offendimus omnes, omnes declinauimus & inutiles facti sumus, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Videbat hæc ille, neque potuit non offendi uitijs nostris & flagitijs, quibus magna ex parte cooperti esse uidemur. Sed non ita totus erat uitijs nostris & flagitijs contemplandis deditus, quin uideret simul, cuius nos personam quamlibet indigni gereremus. Oderat itaque fornicatores, scortatores, adulteros, auaros, sed amabat interea Sacerdotes, amabat Dei ministros, neq; propter uitia personarum, ordinē odio habendum aut contemnendum

Iacob. 3.
Psalm. 13.

Sacerdotum uitia

temnendum

temnendum esse putabat. Meminerat scriptum esse: Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? domino suo stat aut cadit. Cum uentum erit ad diem illum, quo nos omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, non quæret à quoq; Iudex ille seuerus: Quid Pontifex, quid Episcopus, quid sacerdos fecerit: Sed referet unusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum: propria referet, nō aliena. Reddet enim unicuiq; Deus secūdum opera sua, secundum opera manuum cuiusque retribuet cuique, pro se quisque suæ uillicationis rationem reddere cogetur.

Rom. 14.
2. Cor. 5.
Rom. 2.

Sic ergo ille cum affectus erga nos fuerit, cum paterna quadam

Consolatio ad sacerdotes.

dam nos beneuolentia ſit proſequutus: iuſtam habere cauſam uideri poſſumus, quamobrem his turbulentis temporibus ereptum eum nobis eſſe plus alijs doleamus. Sed ſi quos alios, nos certe minime decet, ita noſtro hoc animi incommodo, ne quam ille fœlicitatē conſequutus eſt, poſteaq̃ ex hac ualle lachrymarum, ad æterna gaudia translatus eſt, ei parum fauere uideamur. Sed & ſi quis aliquid nos incommodi accepiſſe dormitione ipſius exiſtimat, is mea quidem ſententia longe fallitur: Mortuus eſt enim pater eius, & quaſi non eſt mortuus. Similem enim ſibi reliquit poſt ſe, reliquit enim defenſorem domus, quem nos minime dubitare

dubitare debemus paterna ueſtigia perſequuturū, neq; alio erga ordinem noſtrū, quam quo fuit diuus parens animo futurū. Nos modo emendemus in melius, quod non ignorantes, ſed ſcientes peccauimus. Et quoad humana fragilitas noſtra permittit, ne in offenſionem hominum incurramus, ſedulo prouidere conemur. Quamobrem et tu princeps Epiſcoporum Regni huius, & quotquot hic præſentes adeſtis, ſiue quibuſcunque alijs in locis conſtituti eſtis Epiſcopi & ſacerdotes, ponite lachrymas, ponite luctum, ponite mœrorem. Et ad preces pro tam benefico patre noſtro fundendas, animum adijcite. Quod'q; de Gratiano & Valentiniano

Preces ſacerdotum pro defuncto

lentiniano Imperatoribus dixit olim beatus Ambrosius: Beati ambo si quid meæ orationes ualebunt: Nulla dies uos silentio præteribit, Nulla inhonoratos uos mea transibit oratio, Nulla uox non donatos, aliqua precum mearum cõtextione transcurret. Omnibus uos oblationibus frequentabo, hoc uos nõ dicite modo, uerumetiam facite, sicut ille fecit. Hoc illi defuncto gratius est futurũ & utilius, quam si fluuios lachrymarũ illius desiderio profuderitis. Sancta enim & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur, dicit scriptura: Quæ si non est in Canone Iudæorum, si non est in Canone hereticorum, fuit tamen semper,

2. Mac. 13

semper, & est, & erit in Canone Christianorum Catholicorum.

Quin & Apostolorum hæc est traditio, ut preces fiant pro defunctis, ut mediatoris pro illis sacrificium offeratur, sicut altero ah hinc anno, Dionysij Areopagitæ, Ioannis Chrysostomi, & Ioannis Damasceni, ac Isidori testimonio me uobis ex hoc ipso loco prædicare memini.

Apostolica institutio.

Vbi simul & illud ostendi, ante mille ducentos annos Aërium quendam fuisse, qui sicut statos ieiuniorum dies & ciborum discrimina, ita etiam preces pro defunctis damnabat, neque offerri debere pro illis oblationes affirmabat. Atque eum ijs ipsis de causis ab Epiphanio Græco,

Aërius hæreticus.

Græco, & Augustino Aphro inter hæreticos numeratum esse, quem uos Aërium, & si qui sunt eius sectatores, qui sopitos pridem ignes nostro hoc æuo suscitarunt, ita ut facitis, contemnite.

Authores Catholici.

Et cum Dionysio Areopagita, cum Tertulliano, cum Origene, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Cypriano, Gregorio Nazianzeno, & magno Damasceno, Isidoro, Bernardo, Athanasio, cumque uniuersa Catholica Ecclesia (quę columna est & firmamentum ueritatis) sentientes, pro dormitione pij Regis & patroni uestri crebras oblationes facite, neque precari Deum pro anima illius intermittite. Et si enim certus nō sum, tam bonum

1. Tim. 3.

bonum

bonum fuisse uitæ eius genus, ut hoc non requirat mortuus, tamen de hoc certus esse uideor, non fuisse tam malum, ut ei non prosint ista mortuo. Viuens ille meruit, si forte in abditis illis receptaculis adhuc detinetur, ut hæc sibi mortuo prodesse possent.

Ita autem pro defuncto Deum deprecemur, ut & superstitis huius memoriam, neque in oblationibus, neque in precibus nostris intermittamus: Vult enim ille & currit, sed nō est uolentis, neque currentis, sed miserantis Dei. Eius itaque misericordiam supplices deprecamur, ut dirigat gressus Regis nostri, ut eum paterna uestigia persequi faciat, ad laudem & gloriam sui nominis,

Pro filio Regis orandum

Rom. 6.

M ad

ad Ecclesiæ utilitatẽ, ad omnium nostrũ, qui eius Imperio subsumus & paremus, cõsolationem.

Ad Proceres Regni.

Vos quoq; cæteri proceres & consiliarij Regni huius, qui loca quę tenetis Regis huius beneficio tenetis, quod ille uos propter uirtutes uestras & præclara merita dignitatibus his & præfecturis honestandos & augendos putauit, si illius causa doletis, tanq̃ illi mortuo triste aliquid acciderit, nõ modo quod doleatis nihil est, sed est potius quod uehementer lætemini. Quid enĩ illi mors fuit, nisi finis malorũ, quæ multa & grauia uiuens pertulit? & initiũ uitæ melioris, & eius quidem perennis, ubi nulla corruptelæ

1. Cor. 15.

contagio, nullus gemitus, nullus dolor:

dolor: ubi uera est Regio uiuentiũ, ubi quod erat in eo mortale induit immortalitatẽ, quod erat corruptibile, induit incorruptionem. Sin autem uestra doletis causa, hic quoq; dolor superuacaneus est. Mortuus est enim pater eius, & quasi non est mortuus. Similem enim reliquit post se, reliquit defensorẽ domus contra inimicos, & amicis reddentẽ gratiam. Quare cum in confesso sit, uos amicos fuisse defuncto Regi & domino uel patri potius nostro, neque enim secus ille nobiscum quàm pater cum suis liberis uiuebat, cum hoc etiam prę mia testentur, quibus uos propter fidem uirtutem'q; uestram amplissimis affecit, si cui uestrum

nondum eſt pro ſuo merito ſa-
tisfactum. Reddet hic amicis gra
tiam, reddet gratiam bonis diui
ſui parentis Cõſiliarijs, quorum
fidelibus conſilijs factum intelli-
git, ut hoc ille Regnum tam flo-
rens ad ſe tranſmitteret. Vos er-
go nihil nunc aliud quàm defun-
cto Regi requiem, huic uero ſu-
perſtiti gratiã Dei deprecemini,
quo pari atq; ille fœlicitate Re-
gnum hoc ſuum guberner, ac ad
ſuos quoq; poſteros æque flo-
rens tranſmittat. Simul quę diuò
parẽti ſuppeditaſtis ad eam rem
ſalubria conſilia, cum hoc quoq;
cõmunicate. Erit apud illum lo-
cus rectis conſilijs: Neq; locus
erit modo, uerumetiam gratia
reddetur fidele conſilium impar-
tientibus.

tientibus. Vos quoq; quotquot
hic adeſtis equeſtris ordinis uiri,
& quicunque alij de promiſcua
multitudine, qui ueſtrũ de morte
eius dolorẽ cum lachrymis uber-
tim profuſis teſtati eſtis: tum
quod ex quo tempore mortuus
eſt, nullum prope diem intermi-
ſiſtis, quo funus illius nõ minore
frequentia, quàm ſancti Marty-
ris alicuius reliquias uiſeritis,
quandoquidem ſæpe iam ex me
audiſtis, nihil mali ei eueniſſe, qui
non uitam cum morte, ſed mor-
tem cum uita commutauit: No-
litę flere ſuper illum, lætitia po-
tius quàm lachrymis uobis pro-
ſequendum, ſed ſi flendum eſſe pu
tatis ſuper uos, & ſuper filios ue-
ſtros, eſt quidem ita, quod cum

Ad Equeſtrem Ordinẽ.

M iij alijs

aliјs multis peccatis nostris diuinam Maiestatē offendimus grauiter, tum hoc certe non leuissime, quod huic tam sancto Regi, tam benefico patri nostro, non eum plærique quem uirtus eius, quem ista dignitas merebatur, honorem habuimus. Quin facta potius à plærisque multa sunt, quibus non tam Rex ille noster mãsuetissimus, quàm Deus, cuius ille personam gerebat, non mediocriter offenderetur: ita, ut iustæ nos, & eæ quidem graues
Psal. 84. peccatorum nostrorum pœnæ maneant. Sed non in æternum
Ioel. 2. irascitur Dominus, qui benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.

Huius

Huius gratia non nostris meritis factum, quod moriens ille similem sibi reliquit post se, cui satisfacere nobis licet, de eo quod in patrem peccatum est. Satisfaciendi autē ratio hæc est, si quod de nostro erga parentem studio fuit diminutum, pensetur erga filium, tanto melius de eo merēdo, tantoque fidelius & diligentius eius mandatis parendo. Id cum fecerimus, sicut certe facere debemus, quem iustum in terris habuimus moderatorem, eo in cœlis utemur pio intercessore: ac futurum est Dei benignitate, ut & hic uitam tranquillam agamus, & post hanc uitam ad eum perueniamus, qui solus
via, veritas est & vita, Do- Ioan. 14.

 minum

Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat Deus trinus & unus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Iacob. 3. Deprecatio offenſarum

Chariſsimi in multis offendimus omnes, neq; fieri poteſt, ut uiuat in ſæculo mortalium quiſquam abſque offenſione, quanto autẽ fortuna alicuius ſublimior, tanto minus caueri poteſt, ne plures offendantur. Offenduntur autem iniurijs nonnulli, offenduntur alij opinione iniuriæ, & habet hæc excellens fortuna, præſertim uero poteſtas Regia, ꝙ etiam benefacta, ſecus homines nonnunquam interpretantur, ut non ſine cauſa dictum fuerit: Regium eſt, male audire, cum benefeceris.

feceris. Nulla poteſt ferri iuſta ſententia, ut non queratur altera partium. Ac quæ ſunt ex optimo animo, non raro profecta, & ſalubriter inſtituta, ea reprehenſionem effugere non poſſunt.

Ego qui conſiliorum ſancti Regis noſtri magna ex parte conſcius ſum, omni uobis hoc aſſeueratione cõfirmare poſſum, quod ſciens ille & prudens neminem offendit, nullum mortalium uolens ulla affecit iniuria, ſi quid peccatum eſt, per imprudentiam peccatum eſt, uel quod conſilijs adductus rectum putauit, quod rectum non eſſet: uel quod parum ſeuere in ſontes animaduertit, quod iuſtitiã eſſe miſericordiam, miſericordiam eſſe iuſtitiam exiſtimaret:

ſtimaret: uel quod extremis an-
nis illis officio ſuo functus eſt
negligentius. Ecce ego, cuius ore
ſemper iam inde à decem annis,
cogitata illius enunciari audiſtis,
confiteor in perſona eius, quod
homo cum eſſet, errauit aliquan-
do, quod fuit indulgentior quàm
expediret, in hanc enim partem
peccare tutius putabat. Confi-
teor & illud, quod eſt omnium
grauiſsimum, quod extremis uitę
ſuæ annis, fuit in iure dicendo re-
miſsior: unde multa mala orta
ſunt in Regno, ſed in cauſa fuit
ætas & ualetudo affecta. Multi
multa paſsi ſunt incommoda per
hoc quaſi iuſtitium, dedit multis
occaſionem imprecandi, qui Re-
gem tantum eum, non autem &
hominem

hominem eſſe uolebant: cum &
Rex homo ſit, ęque morbis, ęque
ſenectutis incõmodis, ęque mor-
ti etiam ipſi, ut cæteri mortales
obnoxius. Sed ille, ſi quid er-
ratũ eſt per ſe, excuſari non uult,
quin agnoſcit potius errata ſua.
Confitetur ea coram Deo, & co-
ram uobis, ac per os meum, per
quod uiuens enunciabat, quæ
clauſa in pectore gerebat, orat
uos & obſecrat: Oro uos & ob-
ſecro ego quoq; indignus Epiſco
pus, obſecro uos per uiſcera mi-
ſericordiæ Dei, ſi quid offen-
dit quenquam per imprudenti-
am, ſi dum ille parcebat malis,
ſæuitum eſt in bonos, ſi cui fa-
cta eſt iniuria, quemadmodum
factam eſſe nonnullis conſtat,
quo tempore propter affectam

Humilis & affectuoſa deprecatio.

ætatem & ualetudinem suam ius
dicere non potuit: quando cer-
tum est, animum ab iniuria fa-
cienda absuisse, iterũ atq; iterum
oro uos & obsecro, ignoscite ho-
mini homines, si uobis homini-
bus & hoc ipso peccatoribus,
non ab hominibus modo, uerum
ab ipso Deo ignosci uultis, me-
mentote eius, quod scriptum est:
Lucæ 6. Dimittite, & dimittetur uobis:
Coll. 3. Date, & dabitur uobis: Donate
illi si quis uestrũ aduersum eum
habet querelam, sicut & Domi-
nus donauit uobis, ita & uos: re-
cogitet unusquisque uestrum, in
quam multis offendat & ipse:
offendat autem, non homines
modo, uerũ etiam ipsum Deum.
Quamobrem nolite maledicere
Christo

Christo Domini, nolite impre-
cari, sed sicut uobis à Christo pec
cata uestra condonari uultis, ita
cõdonate Christo huic Domini,
si quid & ipse peccauit. Sic in ex-
tremo quisque die suo, iustum
illum Iudicem & placabilem ex-
periatur, qui nisi iustitiam mise-
ricordia temperauerit, quis est
qui sustineri possit, si ini- Psal. 29.
quitates nostras
obseruauerit.

SANCTI

SANCTI POLONIÆ, ETC. REGIS SIGISmundi Primi Epitaphium.

Sigismundus in hoc iacet sepulchro,
Quod uiuens sibi prouide parauit.
Primus Sarmatiæ potens feracis,
Hoc Rex nomine quem Iagelliana
Ex magnis Ducib9 uetus propago,
Gestis, iustitia, fideq; clarum,
Produxit, quibus & diu Polonos
Rexit magnanimos, eosq; multis
Auxit diuitijs honoribusq;,
Et tot magnificis ubiq; passim
Structuris, ut in hac patescit arce,
In templis & item Deo dicatis.
Armis atq; toga probe per omnes
Insignis procul inde nationes.

Veri

Veri cultor erat, tenax honesti,
Et prudens, sapiens, pius, modestus.
In cunctis ratione semper usus,
Non præceps, neq; cōcitus notatus.
Tandē trāsijt hinc, bis octo lustris
Ex hoc pondere corporis, peractis
Sancte sicut in hoc agebat, hoc sic
Est iam tempore, mortuusq; sancte,
Christus quo tumulum die reliquit,
Coniunctus superum beatitati.

Natus Anno Domini 1467. prima Ianuarij. Electus 1506. octaua Decembris. Coronatus 1507. uigesima quarta Ianuarij. Mortuus 1548. prima Aprilis.

Ioannes Dantiscus Episcopus Varmiensis, Domino suo benemerenti non sine lachrymis posuit.

SERENISSIMO PRINCIPI ET

Domino, Domino Sigismundo Augusto, Dei gratia Regi Poloniæ, magno Duci Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogetiæ, &c. Domino & hæredi, Domino suo clementissimo, MARTINVS Cromerus.



IN publico & acerbissimo omniũ nostrum luctu, quem tecum pariter, Sigismunde Auguste Rex Inclyte, morte sanctissimi Regis nostri SIGISMVNDI, patris tui, nuper hausimus, nulla est (mea

(mea quidem sententia) maior & efficacior doloris leuatio, quám honestissime & laudabiliter in primis ab eo actæ, & religiosê exactæ atq; positæ uitæ, beneq; & fœliciter, sapienter & cum approbatione omnium bonorum administrati Regni huius, recordatio. Qua in parte cum ego pro meo de multis bene merendi studio, opis aliquid non tibi, neque maioribus natu (qui multos annos in Repub. hac nostra, & in aula eius Regis uersati, exactius omnia norunt, & memoria tenent) sed minoribus & imperitis afferre cuperem, scripsi ei funebrem orationem siue laudationem: qua uitam eius penè omnem, resq; gestas illustriores,

N nude

nude & succincte, quoad fieri potuit, exponendo, non uerbis amplificando, quod perlongum & non meorum sane uirium opus futurum erat, complexus sum, ut esset commentarij uice interim, dum siue á nobis ipsis in instituta historia gentis nostræ: siue, quod malim, á doctiori atque disertiori quopiam diligentius omnia pertractentur. Nec sane desunt in hoc tuo regno, quód multo florentius & belli et pacis artibus pater tuus reddidit, quàm acceperat: qui, si tua benignitas accesserit, & libenter id opus suscepturi sint, & cum dignitate persecuturi. Equidem, si nihil aliud hoc labore meo assequar, certe doctiorum cessantium adhuc studia

studia excitabo, & persequi hæc accuratê & ornatè uolentibus materiam subministrabo. Tibi uero in primis inclyte Rex, orationem hanc dicare uolui, cui meipsum non ita pridem addixi, & ad quem hæreditas paternæ gloriæ maximê pertinet: ut si quidem placebit, nonnulla, si non cum uoluptate, certe cum leuatione desiderij paterni, domestica decora recognoscas, & nostri siue ocij, siue negocij fructum, & quasi primitias quasdam delibes: Sin displicebit (quod magis credo) melioribus des id negocium, ut ne cum eorum, qui nunc uiuunt, mortalium memoria, sapientissimi & optimi patris tui laudes intermoriantur.

Quanquam uiuent eæ (nisi me uanum fallit augurium) æuo sempiterno, easq́; posteri nostri longe etiam quám nos gratiore & iucundiore memoria prosequentur. Quod reliquum est, Deum precor, ut fausta tibi nobisq́; omnibus Regni tui initia esse uelit, & lætioribus indies successibus id cumulet, ac diutissime incolume fortunatumq́; præstet.

Cracouiæ nono Calend.

Aug. M. D.

XLVIII.

ORATIO

MARTINI CROMERI, IN FVNERE OPTIMI & maximi Principis, Sigismundi, eius nominis Primi, Polonorum, Lituanorum, Russorum, Prussorum, & Masouiorum Regis, &c. Cracouiæ habita ad VII. Calend. August. M. D. XLVIII.



Ntemperantius fortasse, Sigismunde Auguste Rex inclyte, & uos Patres Amplissimi, ac cæteri uiri undequaq; ornatissimi, abuti facilitate & patientia uestra

uideor, qui locũ hunc augustum, apud uos hoc tempore dicturus, conscenderim: nihil neque conspectum consessumq́ꝫ istum uestrum amplissimum grauissimumq́ꝫ reueritus: neqꝫ rei, de qua dicendum est, magnitudine deterritus. Neqꝫ ego ita sum hebes, ut non intelligam, quid & quantum sit, quod nunc à uobis expectetur: Neqꝫ ita mihi ipse placeo, ut nõ perspiciam, quid à me præstari possit.

Alexander Magnus.

Quod si Alexander ille Magnus, Rex Macedonum, qui res maximas mira celeritate & rara fœlicitate gessit, neqꝫ pingi se, nisi ab Apelle, neqꝫ fingi, nisi à Lysippo, prestantissimis suæ ætatis artificibus, passus est: quanto acumine,

mine, quàm uaria doctrina, quàm solido iudicio, qua memoria, q̃ꝫ ubere deniqꝫ & illustri eloquentia esse oportet eum, qui de optimi, fortissimi, sapientissimi, clementissimi, & pientissimi Regis SIGISMVNDI, cuius nunc exequias Polonia, Lituania, Russia, Prussia, Samagitia, & Masouia omnis, mœsta & pullata celebrat, laudibus & uita omni, uere & pro meritis eius dicere uelit: Et effigiem quidem cuiusquam apte seu pingere, seu fingere non maximi est ingenij neqꝫ laboris, ac ne operæ precij quidem. Patent omnium obtutibus corporis lineamenta, neque magnopere cuiusq̃ꝫ refert, quo colore, qua figura oris, quo corpo-

Pingere aut fingere artificiose.

ris totius habitu, quaue statura quisque fuerit, qui inter homines esse desijt: Animorum habitudines uitamq́ꝫ omnem, non cuiusuis est neque exacte perspicere, neqꝫ dicendo apte & ad uiuum exprimere. Magnorum autem uirorũ, & excellenti uirtute præditorum laudes celebrare, apprime utile est uitę hominum & necessarium: ut & illis, quoad fieri potest, pro meritis suis gratia referatur, & cæteri habeant, unde uirtutis & laudis exempla petãt, & quo ad benemerendum de suis incitentur. Tantæ sunt aũt huius optimi Regis uirtutes, ut summis pariter ac imis abunde exemplorum, ad uitam recte & honeste instituendam suppeditent: tanta in

Vtilitas ex laude bonorũ.

in nos & in patriã hanc nostram communem merita & beneficia, ut ea sempiterna immortalitatis laude cõsecrari à nobis oporteat.

Neque tamen is ego sum, qui id me rectissime & cum excellentibus sanctissimi illius regis uirtutibus, tum perpurgatis uestris auribus, digne facere posse confidam. Absit hæc à me arrogantia. Nõ adeo effrons demensq́ꝫ sum: Intelligo nullam in me esse doctrinam, nullum dicendi usum & exercitationem, nullum excellens ingenium, nullam deniqꝫ memoriam. Quænam uero tanta est cuiusquam eloquentia? in quo tantum flumen lectissimorũ uerborum? in quo tanta uis, & ut ita dicam, fulmen sententiarum?

Authoris modestia

in quo denicꝫ tanta memoria & pronunciandi dignitas, ut clarissimis optimi Regis uirtutibus atcꝫ meritis par esse posſit? Sed si lautis & delicatis epulis deficimur, an ne cibarium quidem panem hospitibus apponemus? Et, si auro, gemmis, preciosaꝗ; ueste caremus, ne malo quidem cotoneo, uel scypho aquæ ex prætertlabenti amne haustæ, gratitudinem animorum nostrorum sanctiſsimę huius Regis animę ostẽdemus? Vetus est prouerbium, Eos qui thura non habent, mola salsa litare. Certe uel cum periculo priuatæ temeritatis & impudentiæ, non est prodenda causa publica: Necꝫ committendum est, ut dum singuli pudori nostro consulimus,

Excusatio in insufficientiæ.

consulimus, cuncti, hoc extremo laudationis officio in funere talis ac tam bene meriti Regis prętermisso, ingratitudinis (ne dicam impietatis) reprehensionẽ apud omnes gentes, quæ humanitatem colunt, merito incurramus. Audendum est igitur, & eò quidem maiore fiducia, quòd ijs de rebus dicendum est, quę uobis plęrisꝗ; omnibus ęque ac mihi notę, nonnullis etiã notiores sunt: nempe quas uidistis ipsi fere, & meministis, & quarum (ut ait Poëta quidam) pars magna fuistis. Ita em̃ futurum est, ut me rudi & inculto, sed plano tamen sermone capita modo rerum attingente, cętera uos ipsi diligentius mecũ recognoscatis, & grata iucundaꝗ;, ut

Vergil.

ut par eſt, memoria recolatis. Ac de tribus bonorum generibus, quę ſola ſunt laudabilia, primum externa, deinde corporis, poſtremo animi eius bona ſuccincte perſequar. Quod dum facio, uos mihi quæſo, uiri præſtantiſsimi, benignos uos & attentos præbeatis.

Argumentum huius Orationis.

GEnus paternũ Sigiſmundi à Cazimiro eſt, Vladislai Iagellonis filio. Nemo eſt autem ſic hoſpes in Polonia, ac in toto fermè Septentrione, cui non ſit auditum de Iagellonum familia, quæ iam ſupra centum & quinquaginta annos apud nos regnat, à uetuſtis Lituanorũ ducibus ducens originem. Cuius princeps Iagello, cui Vladislao nomen, bono

Iagellonum uetus & Regia Stirps.

bono uerocꝫ omine, quaſi qui gloria potens eſſet, maiores noſtri indiderunt. Huius auus, tuus aũt Sigiſmunde Auguſte proauus, cum Lituaniæ & magnæ partis Ruſsiæ dominatu potiretur, expetitus à Polonis, & ad regnum unà cum coniugio religioſiſsimæ uirginis Heduigis, demortui Ludouici Regis Vngarorum & Polonorum filię, repudiatis quibuſdam alijs procis, accitus. Religioni Chriſtianę ſeſe, & cunctam ſimul Lituaniam addixit, ditionesꝗ ſuas omnes Poloniæ fœdere ſempiterno adiunxit: In cicuranda, & à prodigioſis dæmonum ſuperſtitionibus ad ueri Dei cultum conuertenda gente ſua agreſti & barbara, permultum laboris,

Lituanorum ad Chriſtũ conuerſio.

laboris, operæ, ſumptusq́ im-
pendit. Nec indecorum ſibi du-
xit præpotens Rex, doctoris &
Apoſtoli munere fungi apud ru-
dem & uilem plebeculam, cum
noſtri ſacerdotes eius linguę pe-
Bohemi.
nitus eſſent imperiti. In Boëmis
quoq; ad ſanitatem priſcamq́ re-
ligionē à multiplici errore, quo
ſe authore Ioanne Huſſo impli-
carant, reuocandis, non parum
operæ ſumpſit: cumq́ pertina-
ciores eos eſſe animaduertiſſet,
regnum ab eis delatum repudia-
uit. Sileſios quoſdam & Ruſſos
duces domuit, Cruciferos Ger-
Vladislai Regis gesta.
manos non modo Lituaniæ in-
hiantes, uerum etiam Poloniam
ipſam, parentem & nutricem
ſuam crudeliter & impie lanian-
tes,

tes, clariſsimis aliquot uictorijs
repreſsit, uictis fractisq́ pacem
æquis conditionibus dedit. Erat
enim ſingulari lenitate & man-
ſuetudine, ad remittendas offen-
ſas perfacilis, & ſupra modum
credulus: quippe qui fallere ne-
minem ipſe conſueuiſſet. Quo
magis obnoxius & opportunus
fuit dolis & iniurijs cum Sigiſ-
mundi Cæſaris, tum Vitaudi &
Suitrigali proximorū ſuorum, de
quibus erat bene meritus. Per
quos factum eſt, ut in admini-
ſtrando regno pluſculum habe-
ret negocij. Huic decrepita ualde
ætate, cum duo de quinquaginta
annos regnaſſet, uita defuncto,
de duob. filijs impuberibus, quos
è quarta uxore Sophia Ruſſa
Kiouienſium

Duo eius filij. Kiouiensium Ducis filia susceperat, maior natu Vladislaus in regno successit, is, qui Vngarorum quoq; regno suscepto, & profligatis summa cum gloria aliquot Turcarum exercitibus, cum prius ad Macedoniæ, deinde ad Thraciæ fines, hosti pacem petenti formidabilis, cum animosiore quàm ualidiore exercitu penetrasset, apud Varnam inter confertissimos hostes incautius dimicans, certam propemodum uictoriam cum uita pariter amisit, cum undecim fermè apud nos, apud Vngaros uero non totos quinque annos regnasset.

Cazimirus Rex. Post hunc Cazimirus natu minor frater, tuus Sigismunde Auguste auus, regnum hoc suscepit: cui

cui peruastata à Tartaris (tametsi profligatis semel atq; iterū) Podolia & Russia, & amissus per defectionem ad Moschos dominatus Seueriensis, ac domestici motus, seu uerius offensæ uoluntates multorū, propterea quod Lituanis plusculum indulgeret, malisq; consultoribus uteretur, non parum de paterna fœlicitate detraxere. Prussiam tamen & Pomeraniam per deditionem recepit. Cruciferis fœderum non tenacibus post tredecim annorū bellum supplicibus, & iureiurando in uerba sua & posterorū suorum Regum Poloniæ adactis, relicta parte Prussiæ pacem dedit. Valachorum Palatinum bellicosissimū Stephanum, in clien-

telam accepit, & in consilio suo locum ei dedit, ac magno ei ad profligandos Turcas adiumento fuit: cum Vngaris & Boëmis uario Marte bella gessit. Filios sex, & septem filias ex Elizabetha Alberti Cæsaris filia, Ladislai Vngarorum & Boëmorum Regis sorore, fœmina honestissima & religiosissima, suscepit. Ex his uiuens Vladislaum natu maximum Boëmis, Cazimirum, ac deinde Ioannem Albertũ Vngaris Reges, dedit. Sed utroque hoc dissensione partium deserto, Vngariam quoq; Vladislaus obtinuit. De quo nati, Ludouicus quidem filius, bimulus uiuente patre coronatus, cum ei exacta ætate mortuo, in utroque regno successisset,

Filij eius sex, & filiæ septem.

Ludouicus Rex nouiss.

successisset, iuuenis admodum, Turcico bello ante unum & uiginti annos apud Mohatium miserabiliter perijt. Anna uero filia cum Ferdinando Cæsare, qui post Ludouicum apud Vngaros & Boëmos regnat, nupta, tribus filijs præclaræ indolis, & nouem filiabus superstitibus relictis, anno abhinc altero parturiens, diẽ clausit extremum. De supra memoratis uero duobus filijs Cazimiri Regis. Cazimirus quidẽ, iuuenis castissimus atq; religiosissimus, in Lituania immaturam mortem obijt, non sine celebri sanctimoniæ fama, quam cõplura miracula ad sepulchrũ eius ædita confirmarunt: Ioannes Albertus post patrem octo et amplius,

Anna soror eius, & uxor Ferdinandi Regis Ro. &c.

Cazimirus filius Cazimiri sanctus.

deinde hunc secutus Alexander, quinq; annos regnarũt: Ille quidem maximi animi, sed ante susceptum regnum, quàm regnans fœlicior: Hic à Moschis apud Vedrusios uictus, eosdem apud Oposcam, Tartaros uero Tauricos apud Clecicum paucis ante mortem diebus insignibus prælijs profligauit: Vterq; extincti propere, credo ut digniori cederent: Post hos Sigismundus hic noster natus est. Hunc secutus Fridericus, sacris initiatus, Archiepiscopus Gnesneñ. simulq; Episcopus Cracouiensis, & S. Romanæ Ecclesię Presbyter Cardinalis fuit.

Fridericus Cardinalis.

Porro filiarum Cazimiri duæ immature mortuæ, Heduigis Georgio

Georgio Duci Bauarorum: Sophia Friderico Marchioni Brandeburgensi: Anna Boguslao Pomeranorum: Barbara Georgio Saxonum: Elizabetha uero, patre mortuo, Friderico Legnicien sium & Bregensium Ducibus matrimonio iunctæ fuere, & omnem pene Germaniam affinitatibus & propinquitatibus illustrium uirorum & mulierum, quas enumerare perlongum esset, nobis deuinxere. Sed ad institutum nostrum reuertamur. Hoc igitur Sigismundi genus compluribus, quemadmodum uidetis, præclaris principibus ac regibus fœcundum fuit. Atque is ab ineunte primum pueritia, unà cum alijs fratribus, ab honestissima & religiosissima

Filiarum Cazimiri despon satio.

Educatio Sigismundi.

ligiosissima matre sancte ac temperanter educatus, & a praeceptoribus, uiris eruditis, bonis, grauibus, & pijs, ad uirtutem in primis & pietatem, cultumque diuinum institutus, in literis quoque non contemnendos progressus fecit: ita, ut Latine scribentes & loquentes sine interprete intelligeret, nec incommode ipse ea lingua uteretur. Germanicam uero, cuius propter finitimos atque etiam incolas Germanos, non exiguus est usus apud nos, exactius didicit. Porro in diuinis scripturis ita fuit exercitatus, ut multa inde senior meminisset, ac saepe eas in ore haberet, non ad scurrilem iocum aut ad curiosam disceptationem, ut nunc improbus, ne

Pius usus sacrarum literarũ.

dicam

dicam impius, mos inoleuit, sed serio & ad moderandas actiones uitamque omnem: Eoque timorem Dei, iustitiam, & uirtutem maxime semper prae oculis habuit. Permultum enim refert, quibus rebus quis ab ineunte aetate assuefactus fuerit. Nec scio, an ad uitã sic uel sic degendam longe plus faciat, quo modo quis a puero eductus & institutus, quam quomodo natus sit. Solent enim plerunque etiam bonae & generosae indoles, praua, atque adeo negligentiore quoque educatione deprauari: uitiosam uero naturam saepe bona educatio corrigit. Sic igitur educatus Sigismũdus, adolescens singulari indole, modestia, comitate, grauitate, & in-

Educationis bonae utilitas.

 dustria,

dustria, quæ res maxime ætatem illam commendant, magnam sibi non modo nostrorū hominum, sed etiam externorum, Vngarorum inquam, Boëmorum, Silesiorum, & Germanorum, cum quibus uixit, beneuolentiam adiunxit. Nam cum regnante Ioanne Alberto fratre post patrē, iuuenis in Vngariam ad Vladislaum alterum fratrem se contulisset, ibi ea dignatione fuit, ut Vngari & Boēmi magis eum propemodum, quàm Regem suum reuererentur: per eum, quæ cuperent, publice & priuatim à rege peterēt: eius authoritati & iudicio libenter starent. Vsq; adeo maiorem uim habet ad tenendos in officio etiam feroces homines, æquitatis,

Fauor Sigismundi apud Vngaros & Bohemos.

æquitatis, grauitatis, constantiæ, & sapientiæ opinio, quàm regiū sceptrum, quàm etiam carcer, bonorum confiscatio, proscriptio, uirgæ deniq; & secures. Itaq; magno omnium fauore, Glogouiensem & Opauiensem dominatum, & summam utriusq; Silesiæ præfecturam à Vladislao fratre obtinuit: Adeóq; charus ac uenerandus fuit Silesijs, ut hodie etiam eius imperium grata & iucunda memoria prosequantur.

Suprema præfectura Silesiæ.

Quid illud, nonne ingens est bonæ existimationis & beneuolentiæ hominum erga eum documentum: quod cum regnaret iam in Polonia, à Suetijs post eiectū Christiernum Regem, & item ab Vngaris atq; Boēmis, post mise-

Regna ei oblata, sed non accepta.

rabilem Ludouici fratris filij interitum, ut illa quoq; regna susciperet, expetitus est: Neq; deterrebat Suetios tanta terræ marisq; intercapedo, quanta à nobis disiunguntur, ac ne Vngaros quidem & Boëmos pacta conuenta cum Maximiliani Cæsaris liberis, aut Caroli & Ferdinandi maximorum principum potentia, si Sigismundus delatū sibi regnum suscipere uoluisset. Apud suos uero quàm gratiosus fuerit, uel illud permagno argumento est, quod Ioanne Alberto Rege mortuo, prælatus fuisset procul dubio in regno, maiori natu fratri Alexandro cunctorū suffragijs, nisi plus publica quies atq; tranquillitas, & uetusta cum Lituanis,

Gratiosus apud Polonos.

nis, quos iam Alexander ditione tenebat, fœdera ualuissent. Iam uero quantum ei honorē summi quique principes habuerint, redite quæso mecum paulisper in memoriam. Primum enim Maximilianus Cæsar non minoris animi, quàm prudētiæ princeps, dudum hostis acerrimus, post celebrem illum congressum Viennensem, eo ipsum honore prosequutus, ea charitate complexus est, ut in loco fratris deinceps eum haberet: eius gratia fœdus cum Basilio magno Moschorum Duce ictum respueret, ac non modo non defenderet contra Sigismundum Cruciferos in Prussia, quos defendendos susceperat, uerum etiā auxilia ei contra illos,

Amicitia cum Maximiliano Imp.

illos, si quid noui molirentur, suo, nepotumq́ue suorum nomine promitteret. Qua de re extat apud nos diploma eius.

Amicitia cum Carolo V. Imp.

Huius uero nepos Carolus, qui nunc late & fœliciter imperat, nonne hunc Sigismundo honorem habuit, ut inclytę huic Reginæ Bonæ, uxori eius coniunctissimæ, Barensem principatum, quem post obitum matris eius in potestatem suam redegerat, redderet: ipsum societate sua et aureo uellere ultro dignaretur, sæpe honorificentissimam eius mentionē faceret: neque unquam Cruciferis & alijs Germanis bellum contra eum flagitantibus indulgeret: Adest hic uir clarissimus Stanislaus Lascius Palatinus

Lascus.

nus Siradiensis, haud ita pridem apud illum potentissimum Imperatorem legatione functus. Adsunt item uiri præstantes, Petrus Opalenius Castellanus Gnesen. Stanislaus Borgius, Decanus Cracouiensis. Nicolaus Myscouius Regiæ mensæ structor. Vellem adesset etiã uir eruditissimus Ioannes Dantiscus, Episcopus Varmiensis: qui omnes idem munus apud eundem Imperatorem cum laude superioribus temporibus obierunt. Ex his cuique licet discere, quantopere ille princeps maximus & grauissimus Sigismūdum Regē obseruarit. Quid frater eius, Ferdinandus Cæsar & Rex potentissimus: nonne plurimum eum

Borgius.

Dantiscus.

Amicitia cum Ferdinando Rege & Cæsare.

eum & amauit, & coluit? nonne eius arbitrio cõtrouersiam suam cum Ioanne Rege de regno Vngarorum permisit? Non dico, quibus uerbis & rebus præterea sæpenumero idem Rex quanti Sigismundum faceret, declarauit. Possem autem non uano rumore accepta referre, sed quæ cum de grauibus uiris accepi, tum ipse explorata habeo, cum nuper ad illum à te Rex Sigismunde Auguste cum Nicolao Radiuilo, uiro illustri & acuto, Lituaniæ summo Marsalco missus essem. Ne illud quidem commemoro, quanto animi dolore idem nuper Sigismundi nostri mortem prosecutus, quantoq; studio pariter & apparatu exequias ei in maxima

maxima principum Germaniæ celebritate fecisse dicitur. Vt autem & Gallorum Regem Franciscum, qui anno superiore decessit, Iulium secũdum, Leonem decimum, Clemẽtem septimum: & hunc, qui nunc præsidet, sapientissimũ Paulum tertium, Pontifices maximos prætereã, quorum illustria habiti huic Regi honoris documenta commemorare possem: ut magnorum item & grauium quorundam Germaniæ principũ perhonorifica de ipso elogia, quæ ipse his auribus audiui nuper, omittã. Barbari nonne eum præ cæteris regibus & monarchis reueriti sunt? Quo enim rege cultior & populosior fuit Russia & Podolia? hoc est, quo

Amicitia cum maximis Regibus & Pontificibus Rom.

quo regē quietiores fuere Tartari, prædis & rapto alioqui uiuere soliti? Quid ego dicā de Turcis, qui fœlicitate sua elati, omnes homines atq; gentes præ se contemnunt? An non Solimannus bellicosissimus & fœlicissimus eorum Imperator, cum eo perpetuum fœdus percussit, & religiose coluit? negare id alijs postulantibus, aut ad tempus modo concedere, nec admodum superstitiose seruare solitus. An non Valachis ac Tartaris uectigalibus suis, ne Sigismundi Regis ditiones infestarent, edixit? An non idem huic etiam eius filio Sigismundo Augusto per Petrū Opalenium, & Ioannem Ocesium Castellanū Biecensem, uiros ornatos,

Cum Solimanno.

natos, pacē & amicitiam in gratiam patris promisit? An non eiusdem intuitu, filiam eius Isabellam reginam uiduam, nepotem'q; hactenus incolumes esse barbarus Tyrannus passus est? qui ne ad Valachiam quidem adspirasset, nisi eum intempestiuæ, ne quid aliud dicam, dissensiones nostræ animassent. Quid Selimus Solimanni huius pater, ferox & in patrem etiam suum impius, an non Sigismundi amicitiam splendida legatione olim expetiuit? Nimirum admirabantur in eo cuncti uirtutem, grauitatem & cōstantiam singularem: reuerebantur etiam nonnihil eius fœlicitatem. Quis enim tot annorum spacio, in tanta orbis ter-

Cum Selimo.

Regnum florens et pacatum

rarum perturbatione fœlicius eo regnauit? quis regnum, superiorum regum infœlicitate diuexatum ac deformatum, aut pacatius administrauit & retinuit, aut florentius & opulentius reliquit? Quis tot ac tam difficilia bella tam secunda fortuna, tantaq́ꝫ celeritate confecit? Commemorantur a' ueteribus scriptoribus Cyrus Persarũ, Alexander Macedonum, Mythridates Ponti, Carolus magnus Germanorum, maximi & fortunatissimi Reges.

Duces bellorum

Celebrantur Alcibiades, Conon, Themistocles, atqꝫ Timotheus Atheniensium: Agesilaus, Pausanias, Lysander Lacedæmoniorum: Pelopidas, & Epaminundas Thebanorum: Hannibal

bal & Asdrubal Carthaginensiũ: Romanorum uero (ut multos omittam) Fabij, Scipiones, L. Lucullus, Gn. Pompeius, & C. Cæsar, clarissimi Duces & Imperatores. Ne nostrorũ quidem Boleslaorum & Vladislaorum obscura est gloria. Verum illi omnes partim cum imbellibus populis rem habuerunt, partim bello fœlices, cęteris rebus infortunati fuerunt: partim cladibus uictorias propemodum adęquarunt: partim etiam aliquousque a' fortuna euecti, in medio cursu destituti, & ad extremum sæuis eiusdem procellis obruti sunt. At Sigismundum nostrum ab initio ad finem usque secundo flatu fortuna prosecuta est.

Fortunatissimus Rex Sigis.

Bellicosæ gentes.

Cum quibus uero bella is gesſit? Nempe cum potentiſsimis Moſchis, ferociſsimis Tartaris, acerrimis Valachis, fortiſsimis Germanis, cum Turcis denique, uel ipſa uictoriarũ perpetuitate formidabilibus. Quarum gentium ualidos exercitus uel inſignibus prælijs uicit & profligauit, atq; adeo deleuit etiam, uel caſtris exuit, uel deniq; regiones earum impune uaſtauit. Quaſdam etiam domuit.

Victi ab eo Tartari diuerſis prælijs.

Atq; ut à Tartaris perpetuis noſtris hoſtibus incipiam. Horum quidem non contemnendos tres exercitus apud Sluſcum tribus prælijs Duce Conſtantino Oſtrogio, principe omnium ſæculorum memoria digniſsimo, ad

ad internecionem penè cecidit. Deinde apud Viſnoueciam uiginti quatuor millia, cum ſe per Ruſsiam populabunda diffudiſſent, ſexies fuſa leuibus & particularibus prælijs, ad extremum tota acie in abeuntes facto impetu, Nicolao Camenecio Palatino Cracouienſi, & eodem Conſtantino Ducibus profligauit, cum noſtri ſex millium equitum numerum non excederent, de quibus uix centum eo prælio deſiderati ſunt. Hoſtium uero multo minor pars pernici fuga euaſit.

In Valachia quoq; ante multos annos à Bogdano Palatino, huius Regis auſpicijs & armis ijdem hoſtes graui prælio uicti ſunt. Ne illæ quidem ignobi-

 les

les uictoriæ sunt, quæ apud Voronouiam Ioanne Camenecio, apud Buscū Stanislao Lanscoronio, apud Zinçouiam arcē Iacobo Sencignouio atq; iterū Palatino Kiouiensi, in Volinia Constantino & Ostapheo ter, apud Ossacouiam hostilem arcem eodem Ostapheo & Prædislao Lanscoronio ducibus, & quæ in Podolia Trebinij, quæq; apud Cameneciam & Verestatincium pagum, & compluribus alijs in locis Nicolai Senauij uiri fortis & magnanimi, qui nunc Palatinus Belsensis est, ductu, & fratrū eius, Alexandri & Procopij, ac Bernardi Prætificij Silesij opera partæ sunt. Nam leuiora cum his apud Trebowliam, Podhaiciam,

am, Medibozū, & multis alijs in locis prospere item gesta certamina, sciens uolensq; prætereo, ne sim longior. Tot em̄ fere sunt, quot excursiones ea gens rapacissima & famelica, & uel è flamma, quod dicitur, cibū petere solita, in ditiones eius ipso regnante fecit. Perraro em̄ impunè id abstulit. Quid illa apud Caniouiam in Lituania ante unum et uiginti annos, nonne omnibus sæculis est memorabilis uictoria, qua uiginti sex millia Tartarorum eodem illo Constantino Duce parua manu profligata sunt?

Bella cū Turcis gesta.

Cum Turcis nullum hic Rex aperte bellū gessit, sed tamen aduersus eos, cū uel Tartaris intermixti è Podolia prædas agerent,

 uel

uel Valachis opem ferrent, uel deniq; nostros circum Bialogrodum, quod & Moncastrum uocant, populabundos insequerentur, cum ab aliȷs, tum à Prędislao Lanscoronio Regis huius auspiciȷs prosperè dimicatum est. Bis contra eosdem in Vngariam Ludouico Regi missa auxilia, quo quidem utroq; tempore, utinam prius quidē uiro illustri & incomparabili Ioanni Tarnouio, earum copiarum ductori, posterius uero Gnoinio obtemperatum esset. Vterq; Turcica arma uiresq; periclitatus erat in Podolia, cum illi inde, irritati à nostris, aliquoties prædas ęgissent. Sed magis comes Tarnouius, cuius præclara uirtus enituit, quo tempore

Illustris bellorum Dux Tarnouius Comes.

tempore Turcæ ad tredecim millia, Podoliā & Russiam ad Leopolim usq; & fines Vngarię ferro igniq; uastantes, tria millia, plus minus, de suis, particularibus aliquot pręliȷs fusi, amisere. Quod si idem robur animi fuisset in eo, penes quem tunc erat militare imperium, potuerat exercitus ille cunctus deleri. Taceo duodecim millia Turcarum in Austria, ante quindecim nisi fallor annos, nostratium trium millium opera & uirtute in primis pene ad internecionē deleta. Nam iȷ tunc quamuis Sigismundo regnante, tamen non publice, neque Sigismundi auspiciȷs, sed Caroli Cæsaris & Germanorum stipendiȷs militarunt. Iam Valachos dolis atque

artibus usitatis fretos, & clade nostrorum Ioanne Alberto regnante apud Bucouinam syluam accepta, Turcarumq́ue ac Tartarorum auxilijs tumentes, quanta non modo fœlicitate, uerũ etiam celeritate uicit, ac domuit, cæsisq́ue eorum copijs, uastatis longe lateq́ue agris, senatu pene omni capto, Bogdanum regulum gentis, quem Vaiuodam & Palatinum uocant, restituentem prædam, quam paulo ante in Russia ceperat, in uerba sua iurare coëgit: & amissam maiorum suorum culpa Pocutiam, ab eo recepit. Nostra uero memoria, cum Petrus Palatinus rebellasset, Pocuciamq́ue rursus inuasisset, primum sex millia hostiũ apud Guosdeciam arcem, ac

ac mox uiginti duo millia apud Obertinũ pagum uix à quatuor millibus nostrorum, duce hoc Ioanne comite Tarnouio, uiro clarissimo & primario bellatore, insigni & inopinata clade profligata sunt, erepta cum bombardis cætera impedimenta, Palatinus ipse saucius uix fuga euasit. Nec tamen ad officium redijt, donec postea in arce Chocimensi obsessus, et ad extrema redactus, solenne unà cum Proceribus & cuncta nobilitate sua Regi iusiurandum dedit. Porro cum Germanis Prussiam sibi uendicantibus, quo tempore tu Sigismunde Auguste natus es, bellatũ quidem uarie, sed nunquam, nisi prospere à nostris dimicatũ est.

Bella cũ Dominis Crucife-ris Germaniæ gesta in Prussia.

Nempe

Nempe apud Prusmarcum, Zeburgam, Guteſtadiam, Brunſbergam, Reslam, & Raſtemburgam, à Iacobo Sencignouio, apud Piſsiam à Stanislao Maſouiorum duce, in ſinu Varmienſi nauali prælio à Gedanenſibus, bis apud Bartenſteinam, ſæpius á Prædislao Lanſcoronio & Ioanne Zaremba Palatino Caliſsienſi multis in locis, apud Heilisbergam ab Alexandro Ilouio, Gedani & Elbingæ, cum eas urbes adorti eſſent, à ciuibus fuſi & profligati: Ad extremum tot cladibus & inedia, uigilijs & iugi noſtrorũ equitum uexatione fracti & ad paucos redacti, Pruſsia exceſſere.

Quid ego de Moſchis loquar? qui

qui uel præcipuam gloriæ & uictoriarum materiam huic regi præbuere? Apud Poloſcũ, olim quidem ſeptem millia hoſtium à Ioanne Boratinio, uiro acri & animoſo, interfecta: Deinde uero tredecimo ab hinc anno, cum ij Lituaniam non amplius decem & octo milliarijs à Vilna Metropoli, hiberna excurſione depopulati, reuerterentur, mille extremi agminis, quos ſolos Lituana nobilitas cum aulico Regis comitatu, tumultuarie accurrens, aſſequi potuit, trucidati. Superiori etiam quodam tempore in interiore Lituania prædabundi, magnum ſuorum numerum, & prædam, quam abigebant, Lituanis inſequentibus, amiſere. Iam apud Starodubum

Victoriæ de Moſchis actæ.

rodubũ, Radogoſtiam, & apud Smolenſcum aliquoties ante tredecim annos, ductu Georgij Radiuili Caſtellani Vilnenſis, non ſine magnis cladibus profligati. Apud Orſam uero cum primum Sigiſmundus regnare cœpiſſet, ne expectare quidem noſtros, dum Boriſthenem tranarent, ſuſtinuere, experti uim eorum in una & altera turma, quæ primo impetu incredibili audacia traiecerant: Verum dilapſi, cum uaſtari ſua ultra Veſmã etiam atq; Drohobuſum cernerent, denuo coadunati ad centum millia, ne adoriri quidem ter mille noſtros mercenarios milites, cum paucis Lituanis longius à caſtris regijs ad Smolenſcum poſitis progreſſos

progreſſos, auſi ſunt. Magnis uero incommodis affecti, Moſiro, Turouio, & alijs quibuſdam munitionibus, quas dudum Michaël Glinſcius ad eos perfugiẽs interceperat, cõmutatisq; captiuis quinquaginta nobilioribus ac ſenatorij ordinis, quos de Lituanis Alexandro Rege uicto apud Vedruſios ceperant, pacem accepere. Nec maiore ij fuere fiducia longe poſt, cum Radogoſtiam, ac deinde Ioanne Tarnouio noſtros ducente, Homiam & Starodubum arces à noſtris partim ui captas, partim in deditionem acceptas, amiſere. Et Starodubũ quidem, cum amplius quindecim millibus armatorum, qui fuerunt in eius arcis præſidio: qui ſoli noſtrorum

nostrorum numerum longe superabant, uirtute perpaucorum militum nostrorum, & sulfurati pulueris ignisq; adiumento expugnatum & euersum. Neq; uero ij tanto temporis, hoc est, plus q; uiginti annorũ interuallo, quantum inter Orsensem pugnam, de qua iam dicam, & hoc extremum Starodubense bellum intercessit, abiectos semel spiritus recipere potuere. Orsensem uero illam celeberrimam, & cum omnibus fere omnium gentium atq; sæculorum uictorijs comparandam, uictoriã, quid hic pluribus commemorare attinet? Eadem opera Soli lumen adderem. Quis enim est, qui nesciat illo prælio, Constantino Ostrogio principe & Ioanne

Orsensis de Moschis memorabilis uictoria.

Ioanne Suirsouio ducibus, octoginta millia Moschorum bellatorum, qui omnem nostrum exercitũ nõ modo proterere posse uidebantur, uerum etiam Boristhenem tranare passi, pecudum in modum flagris abigere in Moscouiam destinarãt, ingenti strage interfecta esse: ita, ut desideratorum numerus ad quadraginta fere millia peruenisse, uel certe duo & triginta millia superasse dicatur. Ductores eius exercitus, uiros illustres, omnemq; senatũ gentis & supra quatuor millia captiuos uiuos in potestatem uenisse, direpta castra opulentissima: ducem ipsum Basilium bellatorem exercitatum, & contra Tartaros & alias gentes finitimas

Basilius Moscouitorum princeps.

mas uictoriosum, usq; ad regiam suam Mosquam profugisse, atq; ibi amplius centũ & uiginti milliaribus bene longis à loco conflictus, tamen uix tuto se subsistere posse credidisse. Tantus uero tunc pauor Moschorum animos occuparat, ut Smolenscum Seuerum, Nouogrodum, & complures alias munitiones, quæ ferè fraude & perfidia Russorum, partim hoc ipso rege regnante, partim superioribus temporibus in potestatem hostium uenerant, desertas tunc ac uacuas defensoribus, nullo negocio recuperare nostri potuerint, si prosequi statim uictoriam per tempus anni quiuissent. Atq; hæc quidem sunt bellica huius regis decora

cora

cora precipua (Nam leuiora multa prætereo, ne anxie & minutatim cuncta exquirere & persequi uidear) Quæ quidem hoc sunt admirabiliora, quo magis inopinata; utpote in summa ærarij inopia, & plæraq; omnia longe imparibus uiribus gesta: ita, ut bene cum nostris agi uideretur, quoties non plus duplo hostium multitudo excederet. Has tot ac tantas uictorias, tanta imparitate copiarum quæsitas, nihil mirum est, ut est rerũ humanarꝝ conditio uaria & instabilis, si quæ clades interpolarunt. Sed quotnam, & quantulæ sunt eæ? Vna apud Socalum à Tartaris, temeritate Russicæ nobilitatis accepta, ubi quatuor fortasse millia nostrorꝝ à

Clades paucæ & paruæ in tot bellis.

 quadra-

quadraginta millibus Tartarorũ loci opportunitate usorum, defatigata uerius quàm superata, non incruentam hostibus uictoriam cõcessere. Nostri mille ducenti desiderati, barbarorũ uero cæsa quatuor millia. Itaq; raptim ij cum præda, quamuis uictores retrocessere. Altera apud Serethum amnem, cum perpauci nostri in hostico palantes, à Valachis circumfusis oppressi sunt: Vbi tamen non plures ducentis nostris periere. Nam cum peruastata longe lateq; circum Pscouiam siue Plescouiam Moscouia, ab oppugnatione Oposcæ à ualido hostium præsidio reiecti sumus, ignominia illa uerius, quàm clades fuit, ductorum inscitia & incuria

incuria (nolo dicere ignauia) accepta. Amissa uero magna pars Albæ Russię Michaëlis Glinscij hominis ambitiosi, & Alexandri Regis gratia inflati, proditioni, & Russorum atq; Præsidiariorum militum perfidiæ, imputanda est. Porro apud Ozacouiam, cum uir imprimis strenuus, Nicolaus Senauius eo usq; cum mille, opinor, equitibus priuato consilio populabundus excurrisset, priuata illa, non publica clades fuit, credulitate eius, & perfidia Tartarorum contracta. Hæ sunt uniuersæ clades, quas Sigismundo regnãte accepimus: quæ omnes una aliqua ex his, quas superius percurrimus, uictorijs abunde expiatæ & compensatæ sunt:

Nec scio, an quasi neuuli quidam formosum corpus, uel nubeculę, meridianum solem, tot illas clarissimas uictorias illustriores reddidere. Bello ne autem tantum clarus, an etiam pace Sigismundus fuit? Immò uero pace, quam semper expetiuit, clarissimus. Testantur id tantæ opes & facultates hominum nostrorum, tam opulenta cum externis commercia, tantus splendor, ne dicam luxus, tanta elegantia cum in ædificijs & uictu, cultuq́ corporis, tum in sermone & moribus, quanta nunq́ ante hunc regem in Polonia fuit. Loquuntur leges diligentius aliquanto cōscriptæ, clamant tot arces instauratæ, tot exornata templa Dei Opt. Max.

Clarior pace q̃ bellis Sigis.

Tam splendide & magnifice exædificata publicis iuxta ac priuatis ædificijs Cracouia, Posnania, Leopolis, Varsouia, Lublinum, Gedanum, & aliæ quędam urbes atq́ emporia: Tam deniq́ culta & habitata Russia, Prussia, Lituania, & Podolia, quæ regiones antea syluestres & incultæ, aut superiorū temporum conditione desertæ magna ex parte iacuerāt. Quid ego priuatos Sigismundi thesauros, & ærarium sine ulla cuiusquam iniuria, in extremos Reipub. usus asseruatū? quid tot ac tantas possessiones à maioribus eius oppigneratas, ab hoc uero redēptas, cōmemorē? Hæc eo sunt maiora, & magis honorifica, quo fœdius fuit ac deformius,

Vrbes opulentæ sub Sig.

Regiones bene cultæ.

Thesauri in ærario.

quosdam ante eum reges quotidianis quoque sumptibus interdum defectos esse. Iam uero non minima est & illa fœlicitatis accessio, quod eo regnante Zatoriensis ditio, & Masouia post quadringentesimum fere annum ad corpus & compagem Poloniæ rediuerunt: Prussia recusatum diu, & aliquoties excussum iugum accepit: Pomerani Stolpenses ad intermissam aliquandiu huius regni societatẽ & clientelam, iureiurando adacti, reuenere: In qua tamen nostra conniuentia non diu permansere.

Auctum Regnum prouincijs.

Porro in cõmemorandis coniugijs & liberis, quæ non exigua fœlicitatis humanæ pars est, diutius me immorari necesse nõ est.

Fœlices coniuges & liberi.

Permulti

Permulti sunt in hoc cœtu, qui priorẽ eius uxorem, Barbaram, Stephani comitis Scepusiensis, ac Transyluaniensiũ Palatini, cuius ductu nonnunquam cum Turcis Vngari fortiter dimicarunt, filiam, Ioannis postea regis Vngarorũ sororem, fœminam sanctissimam & pientissimam, nouerunt: quæ quidem maximam illam Orsensem de Moschis uictoriam assiduis, diurnis ac nocturnis precibus, cum lachrymis & profusa in egenos beneficentia, asperioreq; cultu corporis & ieiunio coniunctis, a Deo impetrasse existimata est. Quæ quàm coniuncte cum uiro uixerit, magno & longo mœrore, & uberi fletu, ac pene muliebri eiulatu

Barbara uxor Sigis. religiosiss.

post mortem eius indulgentissimus rex testatus est. Hac immature intra tertiũ annũ amissa, alteram suasu Maximiliani Cæsaris duxit, Bonam Sphortiam Ioannis Galeatij, Sphortię Mediolanensium ducis, & Isabellæ Arroganiæ filiam: Cuius auus maternus, Alfonsus eius nominis secundus, Neapolitanorum Rex, & stirpis Arragoniorũ ac Siculorum regum, de qua Carolus quoq; & Ferdinandus summi monarchæ maternum genus ducunt, antiquitate & sua uirtute fuit clarissimus. Paternus uero proauus Franciscus Sphortia, Sphortię, qui primus eam familiã rebus magnis gestis fundauit, filius, cũ plurima & grauissima bella

Altera uxor Bona nobilissima.

Franciscus Sphortia

bella, cum maximis principibus, potentissimis populis, & præstantissimis bellatoribus per omnem Italiam prospere gessisset, nominisq; sui gloria ac terrore eam implesset, à Philippo Maria Mediolanensium duce, Blancæ Mariæ filiæ coniugio, dotaliq; Mediolanensium principatu dignatus est. Hoc igitur tali genere prognatam Bonam, alteram uxorem Sigismundus Rex accepit. De qua, quoniã præsens adest, graui dolore & mœrore amissi dulcissimi mariti, quemadmodum cernitis, prostrata, nihil dicã amplius, nisi quòd triginta ferme annos cũ eo nupta, tanti ea fecit maritum regem, ut his extremis aliquot annis ægrotantẽ, & uiribus

Laudes Bonæ Reginæ.

uiribus plane destitutũ, non coniugali charitate, sed ancillari plane ministerio sine omni fastidio curaret. Quo factum est, ut plurimum ei uicissim Rex amantissimus indulgeret. Harum uero duarum uxorum è Barbara quidem Heduigim filiam susceptam, fœminam lectissimam, Ioachimo Marchioni Brandeburgensi, Electori Romani Imperij matrimonio iunxit, & nepotibus ex ea uiuens adhuc auctus est.

Quatuor filiæ Sigismun. è BONA.

E Bona uero maximam natu filiam Isabellam, fœminam excelso & regio animo præditam, Ioanni Regi Vngarorum, affini iam prius suo, nuptui tradidit, nepotemq́ ex ea, regia, quemadmodum fertur, indole puerum suscepit:

suscepit: quæ mulier complures iam annos post mariti mortem in præcipua laceri & afflicti regni parte regnat. Reliquas uero tres, Sophiam, Annã & Catharinam, uirgines spectatissimas, magnorumq́ regum connubijs dignas, quas hic dolore immature amissi patris miserabiliter lamentantes & humi abiectas uidetis, elocari ipsi, ita ut optabat, datũ non est.

Filius Sig. S.

Filius uero unicus hic Sigismundus Augustus, puer etiam dum decimum agens annum paterno regno, ipsius opera studioq́ ante decem & octo annos inauguratus, post iuuenis factus, uxorem accepit uoluntate patris, Elizabetham, Ferdinandi Cæsaris, & Vngarorum ac Boëmorum

Laudes Elizabethæ, filij Sig. uxoris.

rum regis filiam natu maximam. In qua muliere genus cum forma, forma cum comitate & mansuetudine, hæc cũ probitate, probitas denique cum pietate (quæ ipsi patria uirtus fuit) certabat, ita ut nescires, quid in ea potissimum admirareris. Quæ utinam uixisset diutius, & æditis socero optatis ac sui similibus nepotibus, fœlicitatem eius perfecisset, tranquillitatemq́; huius regni stabiliuisset. Sed non merebantur hæc, opinor, nostra scelera.

Nobilitas Sig. Regis & fœlicitas.

Nunc ad Sigismundum redeo. Nõne igitur hoc singularis cuiusdam fœlicitatis fuit, Rege patre, patruo, auoq́; matre uero Cæsaris filia, & magni regis sorore ortum esse, tres fratres, & unius ex

ex his filium reges uidisse, regem & ipsum supra unum & quadraginta annos tranquille fœliciterq́; regnasse: Summis Principibus uenerabilem, hostibus formidabilem, ceteris admirabilem fuisse: regnum, legibus, opibus, ædificiis, humanitate, elegantia & gloria longe florentius, quàm acceperat, reliquisse: Filiam reginam, alteram uero regina non inferiorem, & ex his nepotes & neptes habuisse: Filium denique regem secum & post se fecisse: morientem permagnum sui desiderium bonis omnibus reliquisse: Nonne hæc (inquam) ei preclarissima, & longe posteritati memorabilia in hac uita cõtigerũt: Atq; hæc tamen plæraq; omnia,

omnia, externa sunt bona, in quibus fortuna plurimum sibi uendicat: Sed ab eo tamen ratione & consilio moderata sunt. Quid ego nunc formam & staturam eius, robur cuiusuis honesti laboris patiens, dignitatem oris, dignamq́; ut ait Poëta summus, imperio faciem, depingam: Quod si facere maxime uelim, non possim. Prius enim fere hæc in eo ætate ingrauescente marcescere cœperunt, quàm ego in hanc lucem prodij: Sed tamen permanserũt in eo etiam affecta iam ætate, non obscura earum rerum uestigia. Roboris uero & uirium eius argumenta, fractæ inter manus non semel florentiore ætate ferreæ equorum soleæ, rupti fu-

Laus a forma corporis.

Robur uirium.

nes

nes canapei crassiores, intensæ manu balistæ, discerpti lusoriarum chartarum fasciculi, à maioribus natu, qui hæc fieri ab eo uiderunt, prædicantur. Atq; hæc leuiora fortasse cuiquam uideantur. Illa quidem non in postrema bonorum parte numeranda sunt, sanitas, quæ ipsi perpetua ferè ante extremam senectutem fuit: integritas & solida compago membrorum, quæ afflictas morbo uires facile recuperabat: uigor sensuum, qui ad extremum usque eum non destituit: firma, melioribus presertim annis, memoria: denique acumen ingenij, quo fratres maioresq́; suos longo interuallo anteiuit. Sed & hęc omnia, ut sint magis propria ho-

Mens sana in corpore sano.

R minis,

minis, quàm illa superiora, tamen ad corpus ferè, quæ deterior pars hominis est, pertinent, nec magna laude & admiratione digna sunt, quippe cum quibus nascamur, quæq; in potestate nostra non sint, & ingenuo cum seruis, vrbano cum rusticis, nobili cum plebeis, regi cum mediastinis & baiulis, deniq; bono viro cum improbis communia sint. Tametsi ne mutæ quidem pecudes, penitus horum bonorum expertes sunt. Quin pleraq; in illis, quàm in nobis maiora & illustriora spectantur. Viribus quidem ab vrsis & leonibus, agilitate à ceruis & bisontibus, longeuitate ab ijsdē ceruis, specie fortassis ab equis & pauonibus, sanitate

Vigor sensuum in quibusdam pecudibus.

te à piscibus, sensuū vigore à lincibus, aquilis, canibus, vulturibus, industria & ingenio quodā modo ab elephantis, vulpibus, & apibus, sic alijs rebus ab alijs fortasse superamur. Cæterum in animo vera hominis & propria laus est. Corpus enī partim instrumentū, partim domicilium, partim etiā carcerem & ergastulum animi sapientissimi homines esse voluerunt. Animum ferè hominis appellatione dignati sunt. Qui vero mollissime senserunt, partem quidem hominis, sed longe deteriorem, corpus dixerunt: In animo omnem hominis excellentiam & principatum col locarunt. Quocirca his quæ externa, quæq; corporis bona dicuntur,

Laus propria hominis est in bonis animæ.

cuntur, ita obiter tranſcurſis, ad eas, quæ ſunt propriæ hominis, atque adeo magni & excellentis Principis laudes, tranſeamus. Quas dum, quanta maxime breuitate poterimus, perſequimur, queſo, ut benigne et attente, quod feciſtis adhuc, audiatis. Virtutem, ſummam animi, atque adeo

Laus Sig. a uirtutibus.

hominis perfectionem, quicunꝗ recte philoſophati ſunt, dixerũt, eiusꝗ uirtutis prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atꝗ iuſtitiam, quatuor partes, & quaſi fontes quoſdam, unde officium, & omnis honeſta, & laude digna actio manaret, eſſe uoluerunt. Quęnam ergo ex his in hoc præſtantiſsimo Rege deſiderata eſt? Prudentia'ne? quæ ex præteritis

& præſentibus, ea quæ deinceps euentura ſint, colligit: cauſas rerum uidet, recte de rebus iudicat, ſibi ſuisꝗ in longum proſpicit, impendentia mala ſapienter auertit: At ea ſumma & admirabilis in eo fuit. Argumento eſt, bene & cum approbatione cunctorũ, quoad ei per ætatem atque morbum licuit, adminiſtrata, & inter tot undique imminentes hoſtes per tot annos incolumis conſeruata Reſpublica. Nam quis ſa-

Sapientia in Repu. diuerſarũ gentium ſub uno Rege.

pientius eo, ſiue ex legibus & moribus noſtris, ſiue ex æquo & bono ius dixit? Nihil eum uarietas legum atꝗ morum, quibus alijs equeſtris ordo, alijs oppidani, alijs agreſtes, deinde diuerſis Poloni, Lituani, Maſouij, Pruſsi,

Silesijsq; utuntur, nihil diuersa & pugnantia nonnunq; senatorum iudicia, quo minus ius suum cuiq; tribueret, perturbarunt. Accidit interdum, ut post dictas a senatu sentẽtias, ultima ipsius, ab omnibus diuersa, & tamen omnium esset æquissima. Porro in consilijs de Repub. nihil temere & incõsulte faciebat, cuncta ad publicam, nõ partis, aut ordinis huius uel illius, sed omnium utilitatem referens, fortunæ q; minimum sese suaq; permittens, ac tuta consilia lubentius, quam callida & periculosa semper secutus. Bella, in quibus fortuna plurimum dominatur, nunquam appetiuit, nec nisi necessario, & graui iniuria prouocatus suscepit, & ita quidem, ut

Consilia quieta & pacifica.

ut ab illa Comici Poëtæ sententia non discederet: Omnia prius experiri, q; armis, sapientem decet. Itaq; a quietis consilijs nunq;, ne inter media quidem arma, & rebus ad nutum fluentibus, abhorruit. Regna a Suetijs, Vngaris, & Boëmis (quemadmodum superius dixi) delata refutauit, ne se patriamq; suam nouis & periculosis bellis implicaret. Valachos subiugare, siue adeo exterminare, ob rupta crebro fœdera cum posset, noluit, ne uel illi desperatione adducti, Turcis sese dederent, uel redacta in prouinciæ formam Valachia, & amoto quasi obice, ipse difficilimum cum potentissimis Turcarum Tyrannis bellum de finibus ge-

rerere cogeretur. Non quod à pia cõtra barbaros ac deuotos Christiani nominis hostes expeditione penitus abhorreret, sed quod suas illorumq́ꝫ uires iusta lance metiretur. Sic em̃ iudicabat, neqꝫ suum esse, neqꝫ unius plane cuiusquam Principis, tam ualidũ hostem, qui Asiæ, Aphricæ, Europæq́ꝫ magnam partem ditione teneret, florentissimum Græciæ imperium euertisset, Caramannos, Cilicas, Syros, Ægyptios, & nescio quas præterea gentes una æstate subiugasset, denique latissime dominanti Persarum regi grauis esset, debellare. Coniungenda esse Christianis principibus arma, si hostem illum à ceruicibus suis vellent depellere.

Bellum contra Turcas deuitauit

Cum

Cum ergo animaduerteret, ceteros principes feralibus odijs inter se digladiari, ac totum pene orbem Christianum plus quàm ciuilibus bellis ardere, omni honesta ratione semper Turcicum bellum declinauit, & Ludouico, fratris filio, Vngarorũ, & Boëmorum regi sedulo idem suasit: qui iuuenis si patrui, quàm ferociorum quorundam consiliariorum suorum consilijs obtemperare maluisset, oblatamq́ꝫ à Turcis pacem accepisset, seu uerius ipsis expetitam dedisset, uiueret fortasis adhuc, neque munitissimum Christianorum regnorum propugnaculum, Vngariam secum unà perdidisset. Hæc sane fuit causa, cur apud pientissimum

Dissuasor belli Turcici

R v &

& Christianissimum regem Sigismundum nihil ualuerunt Iulij secundi, Leonis decimi, Adriani sexti, & Clementis septimi Pontificum maximorum preces & exhortationes, ad suscipiendū contra Turcas bellum incitantium.

Bellum Turcis cōmuni Regum consilio & ope inferēdū.

Optabat quidem sapientissimus rex tempus illud, cum Christiani Principes restinctis intestinis bellis, reconciliatisq́ʒ inter se animis, ad inferendum Turcis bellum conspirarēt, plurimumq́ʒ in id operæ, laboris, & sumptuum impendit, siue quando cum Maximiliano Cęsare congressus est, siue cum missis non semel ad dissidentes Principes, & ad Pontifices maximos, ueluti præsides &

& moderatores Reip. Christianæ legationibus, accurate ac diligenter ea de re ęgit. Et cum initio nōnulla eius rei spes ei affulsisset, nō nisi annuas inducias Baiazeti, Solimāni huius auo, petenti dare uoluit. Ea uero spe frustratus, sepe diuinauit, nunq̃ʒ id se uiuente euenturū esse, ut Christiani Principes aduersus communem illum hostē uires coniungerent. Intelligebat enim, quousq́ʒ nōnullarum nationum mutua inter ipsas odia processissent: nec defore Turcis, quos a cæterorum consensu, ad impediendos pios conatus, auellerent. Quid illud? cū principes Christiani complures, quos nominare necesse non est, sub Clemente Pontifice, in suum fœdus, contra

Bellum contra Carolum Imp. semper dissuasum.

contra Carolum Cæsarem, partim inuidentia fœlicitatis eius, partim potentiæ metu initum, pertrahere eum non potuerunt? Aut cum nuper primarij Germaniæ Principes, affines fere ipsius, & præpotens illa tot opulentorum populorum contra eundem Imperatorē & fratrem eius conspiratio, pellicere eum in societatem suam nequiuit? ne eatenus quidem, ut uel pecuniæ nonnihil mutuo daret affinibus & cognatis, uel conatus illos tacite approbaret, uel denique, ne suos homines stipendijs eorum militare prohiberet? Cuius tamen rei non leuem ei excusationem dabant apud Cæsares, libertas & instituta nostra. Non modo autem nihil

nihil eorum fecit, sed etiam disuadere conatus illos, & pacificatorem sese interponere conatus est.

Clades Ligæ Smalcaldicæ.

Atq; ut inam ei obsecundatum esset, non tam uasta quibusdam locis, neq; tam exhausta passim esset pecunijs iuxta ac uiris Germania, & liberi adhuc Principes quidam, retinerent dominatus suos amplissimos. Sed fortasse sic Deo uisum, ut fastum & contumaciam, prætextu libertatis Euangelicæ, contra sanctissimas leges & instituta maiorum, contra antiquissimum uniuersi Christiani orbis consensum, & contra legitimos magistratus suos impie sese efferentē, retūderet. Cum igitur hæc uel faceret, uel recusaret optimus rex Sigismundus, nonne

nonne magna fuit illa eius prudentia, cum fide amicitiæ & constantia coniuncta? Quid? cum Ioanni regi, bis affini suo, ne regnum Vngarorum Ferdinando Maximiliani nepoti iam prius destinatum, susciperet, disuadere frustra studuit? aut cum ei profugo, exilij quidem locũ apud se indulsit, ut aliquid necessitudini, & calamitati eius tamen daret, auxilia uero contra eundem Ferdinandum negauit? aut cum pacem inter eos componere magna cura instituit? Cernebat nimirum sapientissimus Princeps à longe, quantum mali intempestiua illa Ioannis ambitio Vngaris aduectura, quantisq; malis & calamitatibus nõ modo florentissimum illud

Dissuasor belli Vngarici.

Intempestiua Vauodæ ambitio ad regnũ.

illud regnum, uerum etiam finitimas ei regiones inuoluturum esset bellum illud, inter duos de regno conflatum. Iam in reuocandis ad officiũ Gedanensibus, quodam furore multitudinis ad rebellionem concitatis, & in eijciendis è Prussia Cruciferis Marianis tam cupidis, tamq; contumacibus, ut nunquam ab eis Polonia & Lituania quietę esse possent, an non magno & exquisito consilio usus est? Ne illud quidem eius consilium sapientia uacauit, quo, cum hinc à Moschis graui bello distineretur, inde Cruciferi non leuius bellum ei ostentarent, Maximilianus uero Cæsar, infensus ipsi adhuc, & hos, & omnes, quoscunque posset,

Prussia per Sig. pacata.

possset, in eum, & in perniciem Polonorum concitaret, Tartaris donatiuum, siue stipendium cōstituit, nō modo ut ab assiduis eorū incursionibus ditiones suas, aliīs, quemadmodum dixi, bellis impeditas, liberaret, uerū etiam ut eorum opera, in uexandis ac distinendis Moschis, & aliīs hostibus suis, paruo redempta uteretur. Qua re tantum profecit, ut & Moschos ad petēdam pacem adigeret, & tam culta & habitata sit, quàm nunq; sub fratribus, patre & patruo eius fuit, Podolia.

Stipendium Tartaris sapienter datum.

Quàm solidum uero fuit eius iudicium in mandandis honoribus & magistratibus, & in allegendis in senatum uiris idoneis, quoties id ei arbitrio suo facere per

Solida prudentia circa honores & Magistratus

per quosdam importuniores, quibus impensius indulgebat, licuit? Atque hoc id admirabilius est, quod difficile est nō peccare in hac parte maximis quibusq; Regibus & Principibus, propterea, quòd alienis fere & oculis cernunt, & auribus audiunt.

Iam peculiaris illa eius in omnibus dictis & factis cunctatio, ne ipsa quidem sua commendatione caret. Nimirū sapientis est, nihil temere, nihil præcipitanter, sed omnia cōsulto ac deliberate agere. Sic enim cauemus, ne cuius nos dicti aut facti unquam pœniteat. Itaq; celebratur etiamnū literarū monumentis non ignobilis populi Rom. Imperator, Fabius Maximus: de quo uulgatus

Cunctator Sig.

tus est ille Poëtæ cuiusdam uersiculus:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Atq; hactenus quidem de prudentia Sigismūdi regis nobis dictum sit modo. Cuius quidē ipsi causa fuit timor Dei, cum lacte nutricis, ut ita dicam, imbibitus. Initiū em̄ sapientiæ, quemadmodum sapientissimi reges Dauid & Salomon inquiunt, est timor Domini. Fortitudine uero & magnitudine animi, quanta hic rex præditus fuerit, quàm impiger ad propulsanda & suscipienda pro salute & incolumitate suorum bella, quàm contemnens earum rerum, quæ maxime in hac

Magnitudo animi.

hac uita expetendæ esse uideantur: Qualia sunt, regna & imperia, satis iam, opinor, intellexistis ex his, quæ superius diximus. Quin ex illo quoque magnitudinem animi eius intelligere licet, quòd Prussico bello, cum terrore non modico aduentantium è Germania auxiliorum, meliore rursus loco res Cruciferorum esse cœpissent, nihil de conditionibus pacis, hosti prius à se oblatis, mutare uoluit: Aut quod cum ipsi Lituaniæ possessionem post mortem Alexandri fratris adeunti, de nouis quorūdam Lituanorum motibus renunciaretur, non est deterritus, quo minus institutum cum pauco comitatu aulico iter prosequeretur. Et cum

deinde Michaëlem Glinſcium, ducem Ruſſum, qui ad dominatum adſpirare dicebatur, cum ualido equitatu aduentare, in balneo tunc forte ſeſe abluens, cognouiſſet, neutiquam turbatus eſt animo. Venientem cum tranquillo uultu & comiter accepiſſet, cuncta ei ſcelerata conſilia (quod Michaël ipſe poſtea faſſus eſſe fertur) è pectore excuſsit. Tantum eius animi magnitudo, in graui & conſtanti aſpectu relucens, apud hominem Alexandri Regis nimia gratia inſoleſcentem, ac dominandi cupiditate incenſum, ualuit. Sic feroces alioqui canes ad Moloſſorum aſpectum proijcere ſeſe, & adulari cauda ſolent.

Quid

Quid illud? quod Vngaris & Boëmis cum ſuis regibus Viennam ad Maximilianū Cæſarem proficiſci, fideiq; eius, quem Poſonij in cōſtituto congreſſus loco diu fruſtra expectarant, credere ſeſe ob non leues ſuſpitiones dubitantibus, ipſe, nō ſane amicum ad eam diem expertus Cæſarem, permagna fiducia ire ad eū perrexit, ac cęteris idem faciēdi, data fide pro Cæſare, author fuit?

Porro æquabilitate animi in utraq; fortuna, tanta fuit, ut neq; ſecundis rebus difflueret, neque aduerſis frangeretur: A ſuperbia & faſtu ſemper alienus, aditu & affatu facilis fuit. Æſtus, frigoris, inediæ, & laboris patientiſsimus, quippe qui ab ineunte

Animus in lætis & aduerſis conſtans.

 ætate

ætate molliciei delitijsq́ minime assuefactus esset: crassioribus cibis, & pannis, & caprinis pellibus, quod iactitare ipse solitus erat, innutritus. Morbos, & alia uitæ incōmoda admodum æquo animo ferebat. Quodam tempore ad sectionem digiti pedis, sacro, ut medici dicunt, igne inflammati, nihil est plané commotus. Porro cum arx hæc conflagrasset, illa de re tantum angebatur animi, quod dubitaret, tantisper se deinceps uicturū esse, donec eam instauraret. Publica suorum incommoda depellere, damnaq́ uindicare non libenter neglexit. Priuatas uero suas iniurias, obtrectationes, conuitia, & maledicta insolentiorum hominum

num ita contempsit, ut nunquam uindicaret, nec esset ob id deinceps ad beneficentiam in huiusmodi homines restrictior.

Aliæ uirtutes Sig.

Iam uero temperantia & moderatione non modo cum laudatissimis omnium gentium regibus & principibus, uerum etiam cum priscis Philosophis, quorum seuerior & accuratius instituta fuit uita, certare potuit. Nihil ab eo leuius, nihil cupidius, nihil insolentius, nihil dissolutius & flagitiosius unquam dictum aut factum. Fuit in eo uultus ęquabilis, & ad seueritatem compositus, incessus lenis, sermo perpaucus & grauis, sale tamen & lepore non inurbano neq; petulanti nonnunquam temperatus. A sor

dibus ſemper abhorruit, ſed frugali tamen uictu, & cultu corporis elegantiore, quàm ſplendidiore uſus eſt, niſi quando externos homines & legatos ad ſe admiſſurus erat: Nam tunc auguſtiore habitu cõmendare Maieſtatem ſuam ſtudebat. Eademq́ue de cauſa ſplendidius, quàm quiſque maiorum ſuorum habitare inſtituit.

Barbaries ad ciuilitatẽ redacta.

Cuius exemplo & imitatione eliminata magna ex parte è uita noſtrorum hominum priſtina barbarie, ciuilitatem, mũditiam, elegantiam, & ſplendorem cum dignitate conſectari paſsim cœpimus. Itaque longe alia nunc eſt facies rerum in Polonia, quàm ante hunc regem fuit.

Sobrietas.

Sobrietatẽ uero rex idem magni

gni fecit, & ab infantia quidem ad ſenectutem uſque patris auiq́ue inſtituto, plane abſtemius et aquę potor fuit: Ingraueſcente uero ætate, medicorum ſuaſu uinum bibere didicit, ſed ita tamen, ut nunquam eum quiſquam ebrium uiderit. Edacior quidem & libidinoſior natura fuit, uerum in utroque tamen magnopere ſibi imperabat: Cum prægrauatum ſe ſentiret, ipſe ſibi cibum ſubducere ſolitus. Quod uero ad uenerem attinet, cælebs quidem uiridiore ætate laxius aliquanto uixit, & liberius, nec tamen alienos thoros contaminauit, nec uim cuiquam honeſtæ & pudicæ intulit, neque fœdius quicquam, quod honeſtę aures abhorreant, admi-

 ſit:

ſit: & ueros illos lubricæ ætatis lapſus multis clariſsimis uirtutibus compenſauit atque contexit. Maritus uero, coniugij fidem ſancte ſeruauit. Verecundia ſumma, & pene uirginali quoad uixit, fuit. Nudum ſe, aut neceſsitati naturæ ſatisfacientem, non niſi à perpaucis interioris cubiculi miniſtris, cōſpici paſſus. Obiurgare & admonere officij eos, qui aliqua dignatione eſſent, non ſine rubore ſolitus. A probris, maledictis, & acerbioribus uerbis, quamuis iratus, omnino ſibi temperauit. Quanta uero fuit huius optimi regis modeſtia? qui cum acri & ſolido eſſet cum in iudicando, tum in conſultando iudicio, & neq; gratia, neq; odio facile

Verecundia.

Modeſtia in conſultando.

cile deduci ſe ab æquo & bono pateretur, tamen nihil fere maius unquam ſine conſilio ſenatus fecit aut ſtatuit, ac nonnunquam de recta ſententia ſua conſenſu ſenatus adductus deceſsit, ne pertinax eſſe uideretur: quod ingens eſt & pernicioſum plærūq; in Principe uitium. Fiunt enim multa interdum iniuſte & inutiliter, atq; etiam temere & cum multorum exitio ab ijs, qui ſibi plus quàm cæteri ſapere uidentur, dum iudicio ſuo freti, aliena cōſilia aſpernantur. Iam illud, nonne magnæ fuit modeſtiæ ſimul & grauitatis, quod aduerſantem ſæpe deſiderijs ſuis, uel utilibus, uel certe non pernicioſis Reipublicæ nobilitatem, æquo & moderato

Moderatio erga Nobilitatem.

derato animo pertulit, neque ui quicquam inuitis extorquere aggressus est, neq; intemperantiorem cuiusquam in se petulantiam acerbius ultus est : ne tum quidẽ, cum apud Leopolim concitatæ multitudinis conatus prodigiosa tempestate diuinitus disturbati, ferociorẽ eum facere potuerunt? Ac ne eblandiri quidem præter dignitatem aliquid, quod extorquere nollet, uoluit. Non pauca tamen aliquando extra ordinem & præter debitum huic eius modestiæ, cõsensu & obsequio multitudinis atq; Consiliariorũ concessa sunt. Ita nimirum sæpe plus impetrat modestia, quàm exprimit imperium & uiolentia, præsertim ab hominibus ab humani-

tate & libertate non alienissimis. Ab eo uero, quem sibi in omni uita proposuerat, modo, neq; cupiditate ulla, aut metu, neque ira aut odio, neq; aduersitate & ęgritudine animi, neq; lætitia deniq; & uoluptate, quæ res transuersos fere rapiunt homines, facile unquam auocatus est, & abstractus. Porro si quando animum grauibus & continentibus Reip. occupationibus lassum, & quasi fatiscentem recreare & relaxare uoluisset, equitationibus, ac ceruorum, onagrorum, aprorum, ursorum, & bisontium uenationibus (quod studium ipsi gentilitium atque hæreditarium fuit) non sine utili & salubri corporis & uirium, atq; etiam industriæ

Quales animi recreationes.

exercitatione id facere solitus est: Interdum etiam equestrium certaminum atq; ludorum spectaculis. Scurrilibus quidem iocis, & leuioribus sordidisue lusibus, Mimis item, & Histrionibus, & Morionibus non libenter, præsertim integrioribus adhuc uiribus, uacauit. Nec plura nunc de regis huius temperantia & modestia dicam. Reliqua est nobis una maxima & præclarissima uirtus eius, quæ eiusmodi est, ut ne uesperugo, neque aurora sit magis admirabilis, quemadmodum inquit Sapiens quidam: Iustitia, inquã, qua firmantur solia, ut ait sapientissimus rex Salomon, stabiliunturq; regna: Quæ quidem uel maxime in hoc

Iustitia Sigis.

Prou. 16.

rege

rege resplenduit. Itaq; ergo iure optimo firmatũ est solium eius, regnũq; stabilitũ. Nã siue æquabilitatẽ & æquitatẽ eius in dicẽdo iure, tam diuerso & uario, q̃ est in hoc regno, spectes, siue grauitatem & cõstantiam inter diuersas plærunq; senatorũ, & nonnunquam pugnantes inter se sententias, studiaq; ad gratiam uel odium (ut fit) inclinantium, siue laborẽ & patientiam in exercendis iudicijs, quoad ei per ualetudinem licuit, & audiendis etiam infimorum hominum querimonijs, est quod admireris, nedum laudes. Admiranda est & illa eius cõtinentia, quod nemini unq̃ eo regnante, quamuis luculentas, quamuis amœnas possessiones

Continentia Sig.

regijs

regijs uicinas habere obfuit: quin illum uicinum, quàm proceres quosdam, cuncti maluistis. Quid ego fidem eius cum in promissis, tum in fœderibus & amicitijs, inimicis iuxta ac amicis spectatam, prædicem? Commemoraui nonnulla superius, quæ ad hanc rem pertinent, Nempe, quod ad dissoluendam cũ Cæsaribus Carolo & Ferdinando amicitiam adduci se nunquam passus est, ne à necessarijs quidem & affinibus. Promissi uero quàm tenax fuerit, possem hic, si necesse esset, locupletissimos eius rei testes citare, nonnullos uiros amplissimos, qui partim hic adsunt, & hæc taciti audiunt, partim iam è uiuis excesserunt: quibus quo minus

Fides eius in promissis et fœderibus.

nus præstaret semel promissa, neq; gratia, neq; odio, neq; precibus, neq; conuitijs, neque lachrymis cuiusq; flecti potuit. Nihil in eo fallax aut multiplex, aperti uero & simplices fuere mores, pariter & oratio. Et quoniam ea, quæ Respub. continet, tuetur, & florentes facit, iustitia, pœna & præmio, seueritate & clementia maxime constat, de his quoque pauca dicamus. Vtrunq; ille quidem coluit, nec, dum alterum sequitur, neglexit alterũ: Sed cum intelligeret, liberis & minime malitiosis populis se imperare, & satis magnam pœnam sceleri & ignauiæ, institutis maiorũ nostrorum esse propositam, infamiam, inquam, & odium bono-

Nulla in eo duplicitas.

rum uirorũ, ad seueritatem quidem & expetendas de sontibus pœnas fuit remissior, nec nisi necessario, quemadmodum ad secandum urendumq́ medici, ad hoc descendebat. Vt, cum Cazimirienses aliquot decuriones ob cædem nobilium quorũdam, tumultu concitatæ multitudinis patratam, supplicio capitali affecit, ne quod maius malum inde existeret, & ut illi exemplo essent in posterum magistratibus, multitudinem temere concitantibus, concitatamuè non refrenantibus, uel cum Gedani de capitibus seditionis urbanæ supplicium sumpsit. Vel deniq cum dux adhuc Silesiæ, regionem illam omnem latrocinijs, quibus infamis erat, iam

Cazimirienses puniti.

Purgata a latrocinijs Silesia.

iam inde ex quo tempore bella ibi à Boëmis & Vngaris, Mathia & Georgio ac mox Vladislao regnantibus, gesta sunt, penitus repurgauit. Quod factũ eius cum finitimi omnes laudant, tum Silesij quoq etiamnũ grata memoria prosequuntur. Ad clementiam uero fuit propensior, ita ut cum aliquando eam ob rem, nescio à quo uiro senatorio reprehenderetur, urbaniori responso repressisse illã eius acerbitatẽ feratur: Qui scis, inquiens, à quonam seueritatẽ istam exordirer? Illud opinor innuens, Neq illum culpæ exortem esse, & ad multa nonnunquam conniuendum esse Rempub. administranti. Proinde multos capitis reos uita do-

Clementia Sig.

nauit, nonnullis inustam iure infamiam sustulit, nullius propemodum bona confiscauit, confiscata etiam, ijs, quorum fuerant, reddidit. Exules & proscriptos reuocauit, sine accusatore quidem & indicta causa neminē damnauit. Gedanensibus uilis plebeculę impetu ab officio discedentibus, nihil ferè de pristina libertate & immunitate, nihil de commodis, quæ perampla sunt ciuitati illi publice & priuatim, detraxit: authores modo seditionis paucos inuitus partim interfecit, partim exilio multauit: Hostibus supplicibus libentissime ueniam dedit, ita, ut uel de medio uictoriarum cursu non grauate retrahi se ad ueniam recōciliationem'q; pateretur.

Gedanenses.

teretur. De Valachis quidem iam diximus. In Cruciferos uero, debellatos iam fere, quam clementer se gessit? Quòd nisi fidem eorum suspectam habuisset, non modo siuisset eos retinere quæ habebant adhuc, sed ablata quoq;, ni fallor, eis reddidisset. Magistrum quidem eorum, Albertum Marchionem Brandeburgensem, sororis suæ filium, expectatione & aduentu auxiliorum è Germania, uarie tunc, ut q; leuissimo uerbo utar, secum agentē (dabit mihi ueniam princeps amplifs. uulnus suum necessario refricanti, & beneficentissimi in se auunculi memoriæ hoc non inuitus, uti spero, donabit) retinere ea, quę ante bellum illud habuerat,

In Cruciferos.

Albertus Marchio Brand.

habuerat, & partim iure belli amiserat, partim amissurus esse uidebatur, omnia iussit, & honore auxit, Magistri appellatione in ducis nomen, quo omnẽ deinceps rebellandi occasionẽ tolleret, commutata, deniq; hæreditarium ei fratribusq; eius Cazimiro & Georgio in mares duntaxat liberos, principatũ illum constituit. Hæc an non maxima sunt documenta clementiæ, hostem, quem minime esse decuerat, & hostem pertinacẽ, pene deuictum & fortunis spoliatum, meliore quàm fuisset dudum, conditione, in societatẽ & amicitiam recipere? Quid illud eodem bello, quòd Germanos milites contra se militantes, uelitationibus & leuibus

Clementia in uictos Germaniæ milites.

uibus nostrorum prælijs exagitatos, & labore, inopia, inedia, uigilijs, uulneribusq; confectos, delere, cum posset, noluit? Captiuos, quorum plenæ erant turres & ergastula in maiore Polonia & Cuiauia, sine ullo precio liberos, atq; adeo ueste & uiatico donatos, dimisit? Cuius clementiæ benignitatisq; suæ maximũ, nisi fallor, fructũ cepit, Nempe, quod per tot annos deinceps eo regnante, in Prussiam Germani, & contra Polonos, quamuis sedulo sollicitantibus Cruciferis, arma non sumpserũt, non tam uiribus & fortuna regis, ut equidẽ credo, deterriti, quàm beneficẽtia uicti. Sæpenumero enim ij, qui aliquando uicti fractique sunt,

contra uictores sese recolligunt. At quos uictos seruaris ac iuueris, eos beneficij pariter & fortunæ suæ recordatio, pristinos spiritus recipere non tam facile sinit. Neq; illud minus est, nec scio an longe maius clementiæ Sigismundi argumentum, quod cum permagna libertate, cui reges atq; monarchæ plærìq; omnes infensi & infesti sunt, respublica nostra constituta sit, nunquam eam infringere conatus est, quamuis impellentibus ad id quibusdam, & maiore nõnullorum licentia aliquando prouocante. Verum cedere furori paucorum, quàm detrahere aliquid propter eos de communi libertate rex optimus maluit. Quod si

Libertas in Rep.

qui

qui reprehendunt, ijdem sane reprehendant, quod amari à suis, quàm timeri, & patrem se, quàm dominum haberi maluit.

Huc & illud pertinet, quod procerum simultates atq; dissensiones semper sedauit, quoad potuit: quas alere Tyranni, & qui priuata commoda sua, quàm Rempub. pluris faciunt, solent. Nec eæ tantum (proh dolor) his extremis eius temporibus inter quosdam inualuissent, magno iustitiæ & iuris dicũdi impedimento, scelerum impunitate, & periculo maloq; Reipub. dũ ea quasi plaustrum disparibus ac diuersis iumentis, auriga cessante, aut nec quicq; laborante, distrahitur ac discerpitur: non inualuissent, in-

Simultatum sedator.

T v quam,

quam, dissensiones tam pestilentes, si senium & perpetuus fere morbus cõsuetudinem & authoritatem pristinam retinere eum siuisset. Quo fit, ut ipsi iure quodam suo uenia danda sit, si non per omnia eum, quem debuit, quemq́ꝫ florentiore ipsius ætate tenuerat, cursum Respub. pristino illo sensuum, animi, & memoriæ uigore in eo deficiẽte, tenuit. Ætatis hęc uiri Poloni & Lituani, nõ illius culpa est. Ille quidem præclaris uirtutibus suis, atqꝫ superioris temporis administratione & fœlicitate hęc, si qua fuerunt, extremi corporis incõmoda, penitus, si modo uos æquiores & gratiores, quàm maligniores haberi mauultis, obscurauit.

Defectus ex senio.

Neminem

Neminem unquam mortalem inuenietis, qui omnes numeros fœlicitatis absoluat. In charissimis quoque parentibus, suauissimis uxoribus, dulcissimis liberis, atqꝫ adeo in seruis quoqꝫ uestris multa quotidie uos ferre necesse est, nisi humanitatem exuere prorsus uelitis.

Quæ enim ista esset iniustitia & immanitas, atqꝫ adeo impietas, si liberi parentẽ suum, à quo progeniti, liberaliter educati & instituti, semper indulgenter habiti, & omni ratione adiuti & ornati, summa deniqꝫ omnia consecuti essent, ad extremum propter olentem animam, mucidasq́ꝫ nares: addo etiam, si libet, propter neglectam rem familiarem, abomina-

Senio condonandum

abominarētur, aut etiam grauius incuſarent, ſuperiorum omnium beneficiorum obliti? Non eſt hoc ueſtri moris, neque ingenij, uiri Poloni, qui non penitus malos reges, nedum bonos & bene meritos, grata memoria proſequi ſoletis. Verum ad inſtitutum noſtrum reuertamur. Fuit igitur in Sigiſmundo, quemadmodum uidetis, ſingularis clementia & priuatim & publice.

Cur minus largus fuit in quoſdam.

At fuit is reſtrictior in bene merentes de ſe ac Repub. Fuerit ſane ita. Sed quis hoc ei uitio uertat? ſi bene ſecum reputet, inane ante eum regem ærarium: oppigneratas à maioribus eius poſſeſsiones pleraſq; & bona regia: egentes quoſdam reges, ne in quotidia-

quotidianos quidem ſumptus pecunia ſuppetente: non ſolutas à patre, ab ipſo uero exactas omnium, niſi fallor, ſororum dotes: dotatas duas filias, tres etiam reliquas dotandas & pro dignitate ſua regniq; elocandas: perſoluta militibus ſuis & externis ſupra ducenta millia florenorum, emeriti apud Ioannem Albertum & Alexandrũ fratres ſtipendij nomine debita: denique complura bella non ſine magnis impendijs geſta, & alia præterea impendentia. Hęc quiſquis recte ſecum perpendit, ſimulq; cogitat, quo indignitatis illa ærarij inopia, patrē, fratresq;, atq; etiam maiores eius nonnunquam impulerit, æquior multo in hac parte Sigiſmundo erit.

Magnificentia Sig.

erit. Et tamen nihil is prætermisit, quod ad splendorem regni & patriæ, dignitatemq́ suam & magnificentiam pertinere existimauit. Vt enim illa quæ modo attigi, non repetam, ut redemptos à barbaris captiuos: restitutas res, ne belli causa essent, potenti hosti à nostris prædabundis ablatas: senas nuptias magnificẽtissimo apparatu factas: constructas aliquot locis, & pro ueteribus tugurijs regali magnificentia exornatas domos. Vt hęc, inquam, prætercam, Arces quidem Camenecensis in Podolia, Leopoliensis, Sandomiriensis, Corcinensis, Vilnensis, Cracouiensis & hæc quidem bis, & aliæ quædam instauratæ & munitæ: comparatæ

Arces ab eo extructæ.

cõparatæ & instructæ permultę & magnæ bombardæ: frequentes legationes ad externos Principes missę, & ab eis uicissim uenientes, splendide ac liberaliter acceptæ atq; dimissæ, permagno ei constiterũt. Sumptuosus uero & ille fuit splendidissimusq́ cum Cæsare Maximiliano, & Vladislao ac Ludouico regibus apud Viennã cõgressus, quo Polonorũ & Lituanorũ nomen, obscurius antehac, & inopię, inertię, barbarieiq́ opinione contemptibile apud externas gentes, illustrius et admirabilius esse cœpit. Post hos tot tantosq́ sumptus, nõ in luxũ, delitias, & uoluptates priuatas ꝓfusos, sed ad utilitatẽ, salutem, decus & ornamentũ Reipub. factos,

Regum conuentus Viennæ.

Ærarium non inane.

ctos, non est sane reprehendendum, nec scio an ualde laudandũ, quod ærarium non inane reliquit, filij hæredis necessitati, & futuris Reip. usibus, ut filiarum dotes taceam, utiliter seruiturũ, belliq;, si quod alicunde nobis inferretur, neruum futurum.

Et tamen cum hoc sibi proposuisset, ne in priuatos quidem benignitatẽ & munificentiam suam clausit: & fortes, doctos, ac sapientes uiros, aut quauis alia ratione utiles Reipub. cum donis, tum honoribus & alijs beneficijs prosequutus est. Vt enim literatos homines, nostrates pariter & externos, quorum uel opera honorifice in rebus magnis uti se posse existimabat, uel scriptis & præconijs

præconijs suum populorumq; suorum nomen illustratũ iri sperabat, ut eos igitur omittam, ac de fortibus uiris aliquot modo insigniores cõmemorem, nonne Constantinũ Ostrogiensem ducem peramplis beneficijs auxit? nonne Ostapheio plebeio, aut obscuro duntaxat homini, sed in Tartaricis bellis exercitatissimo & uigilantissimo, cum alias, tum post obsessam aliquandiu & oppugnatam à Turcis atq; Tartaris, ab eo uero strenue defensam arcem Cercassiam, permagnum honorem habuit, & multa largitus est? multa sæpe delinquenti indulsit? Quid Nicolaum Senauium scientia & usu rei militaris præstantem, excellentis uirtutis ergò

Ostapheius.

Senauius

V

ergo collocupletatū, & ad eum, in quo nunc eſt, honoris gradum euectum? Quidue uirum omni laude cumulatiſsimum Ioannem comitem Tarnouium, cum alijs nō obſcuris beneficijs ornatum, tum ad ſummum dignitatis faſtigium euectum, euidentibusq; grati animi indicijs, & præclaris elogijs, cū ſiue à Moſchico bello & Starodubo euerſo, ſiue à deuictis apud Obertinum Valachis reuerteretur, ab ipſo ornatum, & honorario munere, publico totius Poloniæ conſenſu binis groſsis collatis, cohoneſtatum, commemorem? Viuunt hi duo, & adſunt, & hæc mea dicta nutibus renitentes approbant. Tametſi longe maximum hi uirtutis

Tarnouius.

tis

tis præmium, ſempiternam rerum à ſe geſtarum gloriam, quæ eos nunquam deſtituet, arbitrantur. Taceo Bielſcium & Lacium Moſchos transfugas perhonorifice ab eo acceptos, & luculentis poſſeſsionibus donatos, ingenij, fidei, & ſcientiæ rei militaris ergo. Non fuit ergo, non fuit Sigiſmundus, ne in hac quidem parte reſtrictior. Aut ſi quando tandem fuit, non ſua uoluntate, ſed neceſsitate, idq; ingraueſcente maxime ætate fuit. Quoniam autem illa quoque uel potiſsima pars eſt iuſtitiæ, quæ cum cœlitibus hominum quaſi ſocietatem quandam tuetur, pietas, inquam, & religio, de hac quoq; iam tandē poſtremo loco mihi dicēdum

Pietas & religio Sig.

 eſt.

est. Consulto autem in hunc eam locum seruaui, ut quæ reliquas omnes uirtutes in se continet, & quasi germina quedam ex se emittit, hominisq́ꝫ fœlicitatem perficit, eadem nobis huius optimi regis perficiat laudationem. Absqꝫ hac enim cæteræ uirtutes, imagines uirtutum & umbræ sunt uerius, quàm uirtutes: neqꝫ omnino laudabiliter & beate, quamuis rebus ad uota fluentibus, uiuitur. Qua autē pietate fuerit, quàmqꝫ sancte & religiose Deum optimum maximū Sigismundus hic rex coluerit, si alia nulla essent, ea, quæ hactenus persecuti sumus, satis magno essent argumento. Neque enim ita se ille tum in administrando regno, tum in omni

uita

uita gessisset, neque tantus euasisset, neque tot bonis & fœlicitatibus, quot percurrere obiter uix potuimus, aut ipse, aut ditiones eius cumulatę fuissent, nisi Deum propicium habuisset. Verissimum enim illud est, quod est in Epistola diui Iacobi Apostoli. Omne munus bonum, & omne donum perfectū superne descendere à patre luminum. Eum uero nemo propicium habere potest, nisi qui agnoscit, reueretur, & colit, omnemq́ꝫ fiduciam suam in eo collocat. Sic enim canit Dauid rex & Propheta: Inquirentes Dominum, non deficientur ullo bono. Et alibi: Qui cōfidunt Domino, erunt sicut mons Sion, qui non commouetur in æternum.

Regni fœlicitas ex cultu Dei.

Psal. 33.

Psal. 124.

 Cum

Cum igitur Sigismundo tot illa tantaque bona in omni uita suppetierint, quis negabit eum Deo curae, suo nonnullo merito, fuisse? Vt enim non fallitur, ita neque fallit Spiritus sanctus, qui per Dauidē olim locutus est: Quoniam rex sperat in Domino, & in misericordia altissimi, non commouebitur. Et quae praecedunt: Desiderium cordis eius tribuisti ei: Praeuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Et alibi: Prope est Dominus omnibus inuocantibus se, omnibus inuocantibus se in ueritate: Voluntatem timentium se faciet, & preces eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se. Sed quoniam

Psal. 20.

Psal 144

impijs

impijs quoque nonnunquam prospere multa in hac uita cadunt, eluceteque in eis etiam aliquando nonnulla imago uirtutis atque probitatis, age uideamus, num qua alia ratione pietatem huius regis ostēdere possimus. Et ecce occurrūt nobis templa Dei opt. max. partim instaurata, partim à fundamentis excitata, & multis magnisque donarijs, & preciosis utēsilibus, ad splendorē, simul & usum cultus diuini regali munificentia exornata. Atque ut Vilnensem Basilicā & Rupense siue Scalcense fanū, & quędā alia, quę nūc in mentē non ueniūt praeteream, hoc quidē certe delubrū pulcherrimum & sumptuosissimū basilicę huic adiunctū, seu uerius iniun-

Templa magnifice culta extructa et ornata

 ctum,

ctum, quod sepulchrum & monumentum suum ille esse uoluit, cum instituto iugiter & concinne Deum colentium sacerdotū collegio, ferit oculos nostros, & quodam augusto splendore perstringit. Huic uero basilicę quàm multa, & quàm ampla donaria contulit?

Sedulitas in templis.

Iam quis nescit, quàm sedulo is, dum per ætatem & morbum potuit, & quàm religiose sacris cultuíq; diuino operam dederit, nulla neq; temporis, neq; loci incommoditate, neq; occupationibus retractus? Quid ego precum eius asiduitatem? quid festorum dierum ieiuniorumq; intemeratam obseruantiam, commemorem? In quibus omittendis uix ualetudinis

ualetudinis gratia, atq; id extremis demum aliquot annis, medicorum suasu, & Episcoporū permissu, ne dicam hortatu, sibi indulsit. Quæ enim à teneris annis cum lacte quodammodo materno imbiberat, ad extremum usq; halitum constanter & mordicus ea retinebat. Externi hi sunt cultus ritusq;, fateor, neq; in his cardo religionis nostræ uertitur: Vera & interior pietas in mentibus & uoluntatibus nostris penitus inclusa est. Ita sane. Sed cū ea soli Deo perspecta & explorata sit, tamen his externis sese nobis prodit, & exerit, ut sic luceat, secundum authorem salutis nostrę Christum, lux nostra hominibus, ut ij uidentes opera no-

Externus cultus Dei.

ſtra bona, celebrẽt & glorificent Patrem noſtrũ cœleſtem. Bona eſt eñ, ait Angelus ad Tobiam, oratio cum ieiunio, & eleemoſyna. Ipſe quoque Chriſtus Ieſus apud Matthæũ magnopere hæc tria commendat, dum quomodo fieri debeant, præcipit. Quid uero prolixam Sigiſmundi in egenos, quorũ uictus ueſtitusq́ꝫ parandi rationes uel morbus, uel ætas, uel calamitas aliqua, uel denique arctioris & addictioris Deo uitę profeſsio impediuiſſet, beneficẽtiam & liberalitatẽ perſequar? Eadem opera lucẽ hanc diurnã accenſa lucerna illuſtrare coner. Cernitis en ipſorum turmas nõ modo templum hoc, uerum etiã uias & plateas complentium

Tob. 12.

Matth. 6.

Elemoſynę Sig.

tium, & orbitatẽ ſuã, tam benefico rege amiſſo, miſerabiliter deplorantiũ. Illa uero eius in receptis antiquitus Dei placandi ritibus & cæremonijs, ſacroſanctè retinendis ac defendendis, & in propugnãdis Dei miniſtrorum commodis, pręclara uoluntas & cõſtãntia, in iſta pręſertim noſtri tẽporis licẽtia, & iſto nouarꝫ rerũ, quo nũc leuiſsimi quiq́ꝫ homines flagrãt, ſtudio, ſeu uerius pruritu, nõne maximũ eſt ſingularis pietatis argumentũ? Vidit eñ ſapientiſsimus rex in religione noſtra nihil melius, nihil exactius hoc tẽpore à quoq́ꝫ inueniri poſſe, q̃ ab ipſis Chriſti ſeruatoris noſtri diſcipulis, eorꝫq́ꝫ ſucceſſoribus ꝓximis, ſanctiſsimisq́ꝫ patrũ Cõcilijs cõſtitutũ, et publico

Conſtantia in fide & religione Catholica.

Christiani orbis consensu tot se-
culis retentum esset.

Ecclesia & Doctores antiqui. Didicerat non hic, aut illic, &
in angulis omnino Christū quæ-
rendum esse, neque uniuscuiusq;
Matt.24. esse arbitratu suo uerba & insti-
tuta Dei interpretari, sed Eccle-
siam, Ecclesiam inquam, in qua
certa esset ac perpetua, ut inquiūt
uetustissimi, sanctissimi, & gra-
uissimi doctores, Irenæus, Cy-
prianus, & Augustinus, tot sæ-
culis continuata, sacerdotum &
Episcoporum successio, colum-
nam esse, quemadmodum ait di-
uus Paulus, & firmamentum ue-
1.Tim.3. ritatis. In ea sola dari spiritum
ueritatis, qui ut author, ita inter-
pres quoque sit sacræ scripturæ:
1.Cor.14 nō dissensionis, uerū pacis Deus.
Quo

Quo quidem illis carere necesse
esset, quibus inter ipsos non con-
ueniret, & qui ne ipsi quidem sin-
guli sibi constarent, sed omni Eph.4.
uento doctrinę, quasi nebulę tur-
bine exagitatæ, circumferrentur.

Animaduertit etiam & illud Quales sunt noui Theologi
pius princeps, omnem nouorum
istorum Theologorū rationem,
inuidentia, cupiditate, ambitione,
& effreni quadam licentia inflam
matam, uentri suo seruire, non
Iesu Christo, quem dictis qui-
dem & scriptis, ac manicis quoq; Tit.1.
tunicarum iactarent, factis uero,
ut ait idem Paulus, negarent: qui
superba & uana loquentes, ut uer
bis diui Petri utar, per concupi- 2.Pet.2.
scentias inescarent homines car-
nis uoluptatibus, eos qui pusil-
lum

lum aufugerant, eos qui in errore uersantur, dum ipsis libertatem pollicentur, ipsi serui corruptelæ. Intelligebat etiam, si qui forte abusus in mores nostros uitamq́ irrepsissent, si temere ij unius cuiusuis, aut paucorum priuatorum arbitrio submouerentur, religionē omnem sacrosanctam, cuiusuis libidine exagitatā & labefactatam, uacillaturam & in periculum uenturam esse. Vel aliam quis proferat causam, curnam sanctissime, & ab ipso Christo Iesu institutæ cæremoniæ, & religionis Christianæ fundamenta, Sacramenta inquam, & ipsa diuinæ naturæ cum humana in Christo indissolubilis copulatio, à Germanicis istis, quemadmodum

Noui Euangelistæ.

modum ipsi uideri uolunt, Euangelij illustratoribus, impudenter & impie cōuellantur. Nimirū nusq́ consistit impia & gygantea hominum audacia, ubi semel frenos excussit, & quiduis in dubiū reuocandi mutandiq́ licentiā nacta est. Religione enī & reuerentia, & sacrosancta quadam atque inuiolabili psuasione religiones omnes cōtinentur. Hæc igitur cū ita perspecta haberet religiosissimus rex, ad officiū suū uel maxime pertinere existimauit, ut religionē omnemq́ cultū diuinum, quemadmodū à maioribus accepisset, in regno suo cōseruaret, sacerdotumq́ incolumitatem ac dignitatē, quibus quasi canibus quibusdam sagacibus incolumibus, neq́

Officium Catholici Regis.

neque grex Christi lacerari a lupis, necq; ab apris aut uulpeculis uinea uastari posset, tueretur. Eamq; ob rem Gedanenses ciues multitudinis temeritate quadam seductos, summa cura atq; diligentia, contempto omni periculo, quod ipsi inde non obscure imminebat, in uiam, & ad pristinam religionem reduxit.

Ritus Christiani in moriente

Iam uero illa, quod moribundus sacra Christi mysteria ritu Christiano expetiuit, & uenerabundus accepit, quod se totum Deo religiosis uerbis & suspirijs commendabat, quod in eius clementia & misericordia fidutiam suam omnem collocabat, quæ & isti euidentissima, nisi fallor, ueræ pietatis indicia iudicant, nonne certa

certa sunt pie & religiose exactæ uitæ testimonia? Cum igitur tanta pietate, quanta genere illo inclyto, & educatione optima digna fuit, præditus fuerit Sigismundus, nihil mirum, si iustus quoque, clemens, magnificus, & benignus: si temperans, moderatus, pudicus, & modestus: si fortis, constans, patiens, & excelso animo: si præteritorum memor, præsentium sagax indagator, futurorũ acutus coniector, & utilium publice priuatimq; diligens & sapiens prouisor fuit.

Virtutes Sig. in speculum Principibus positæ.

Non mirum, si in hac breuitate uitæ humanæ, magnisq; laboribus uiuendo octogesimum secundum annum attigit, si uiribus & ualetudine plærũq; firma

Ætas 82. annorum.

fuit, ſi ſenſuũ ingenijq́; uigorem
ad extremum pene retinuit. Non
mirum, ſi gratia & authoritate
apud ſuos pariter & externos,
ſummos iuxta ac infimos ualuit:
ſi ampliſsimum regnum, elatis
poſt patrem duobus fratribus,
mature adeptus, bellis fœlix &
uictorioſus, pace multa beatus,
uxoribus & liberis non infortu-
natus, ditionũ aliquot acceſsio-
nibus locupletior, tam bene, tam
quiete, tam fœliciter, tantoq́; bo-
norum omnium fauore uno &
quadraginta annis id adminiſtra
uit, & florẽtius multo, q̃ accepe-
rat, non degeneri, uti cõfidimus,
filio reliquit. Non mirum de-
niq;, ſi ſempiternum optimi &
fortunati Principis, & patris pa-

triæ nomen atq; gloriam, niſi me
uanum fallit auguriũ, apud lon-
gam poſteritatem celebris incly-
tuſq́; rex retinebit: quippe, qui
ſuperiores omnes principes &
reges noſtros non modico inter-
uallo poſt ſe reliquiſſet. Nam
quæ in ſingulis illis ſingula lau-
dabilia fuerũt, ea hic unus omnia
complexus eſt.

Pater patriæ Sig.

Boleslai Chrobri, ut ab hoc
potiſsimum ordiar, ſolertiam
& magnificentiam: Cazimiri
monachi pacis & inſtaurandæ
patriæ, ſuperiorum temporum
iniuria afflictæ, ſtudium: Vladi-
ſlai eius filij manſuetudinem,
Boleslai Criuouſti uictorias,
Criſpi prouidentiam, Mieci-
ſlai ſenis grauitatem, Cazimiri

Poloniæ Reges.

horum duorū fratris iustitiam, Lesci Albi excelsum animū, Boleslai pudici religionem ac temperantiam, Lesci nigri moderationem animi, Vladislai Loctici fortitudinem, & in tolerandis aduersis patientiam : Cazimiri magni, in ornando & muniendo regno studium atq; diligentiam: Iagellonis aui, si non in propagando, certe in amplificādo cultu diuino, pietatem, laborē, & munificentiam : Vladislai patrui magnanimitatē & clementiam : Cazimiri patris facilitatē, & offensarum perbreuem memoriam : Denique Ioannis Alberti fratris ad res magnas gerendas, quanquam meliore fortuna, alacritatem. Has, inquam, omnes omniū

illorum

illorū uirtutes solus Sigismundus non modo æquauit, sed superauit etiam : ita, ut nulla cuiusquam eloquentia, nedum infantia nostra, satis digne & pro meritis eum laudare possit. Sed iam ipsum ex augusto illo Mausoleo, in quo heri reconditus est, nos, quibus prefuit, alloquentem audiamus. Quam iuste, quamq; moderate, uobis uiri Poloni (liceat enim mihi uos omnes, imperio coniunctos, uno nomine appellare) imperauerim, & quanta fœlicitate regnū hoc auxerim, ornauerim, & cumulauerim, uos ipsi probe nostis, aut si qui per ætatē intelligere & iudicare adhuc non potuistis, è maioribus natu, bonis & grauibus uiris,

Sig. omnibus excellentior.

Oratio Sig. ad Polonos.

X iij discere

discere poteſtis. Pro his meritis meis, iure meo illud à uobis poſtulo, ut ſi quid unquam imprudens offendi, id uel humanæ imbecillitati uel ætati meæ condonetis: quam uero mihi debetis gratiam, eam liberis meis dulciſsimis, referatis, morte mea pupillis. Filiũ hunc meum unicum, quem ipſi uobis regem, mihi ſucceſſorem, me uolente & poſtulante, iam pridem deſignaſtis, eodem quo me, aut maiore etiam, ſi poteſtis, ſtudio proſequamini, conſilijs adiuuetis, conſentientibus animis atq; uiribus protegatis, ætati eius nonnihil etiam indulgeatis. Ne audiatis eos, qui dum ſuam rem agunt, ueſtrã agere uideri uolunt, & tamen aliud

Pathiba filij commendatio.

alibi præ ſe ferunt, utrinque ut gratiam ineant, & opes potentiamq; ſuam augeant & ſtabiliant. Cernitis qualia nunc ſint tempora, quouſque domi progreſſa ſit multorum audacia, quanta huic regno & communi patriæ pericula à barbaris impendeant. Mature uobis prouidendum eſt, ne nõ modo imperium ueſtrum & Reſpub. uerum etiam libertas & uita ueſtra ueſtrorumq; in extremũ diſcrimen ueniat. Id uero ita demum recte prouidebitis, ſi ſublatis omnino quorundam factionibus, diſsidijs, & ſimultatibus mutuis, amore & officio erga uos inuicem, erga regem uero ueſtrum ſtudio & beneuolentia certabitis. Sic enim fiet,

mihi credite, ut qui nūc formidolosi nōnullis uidemini, formidabiles uicinis uestris hostibusq́ue sitis. Ad te uero, fili charissime, hæc mea est oratio. Illo aūt habitu illoq́ue uigore, hęc tu Sigismunde Auguste patrē tecū loqui existimato, quo fuit, cum tibi huius regni habenas sceptrumq́ue traderet. Nihil est quod te una cum matre, & sororibus tuis, puellis lectissimis, propter mortē meam tantopere excrucies. Mihi quidem ego meo tempore, annorū, uitæ, gloriæq́ue satur, non dico mortuus sum, sed ad beatiorē uitā regnūq́ue melius migraui. Vt aūt uestro quoque & horū omnium tempore id factū esse uideatur, secundum Deum in te, fili, maxime sitū est.

Verba Sig ad filium.

Tibi

Tibi mi fili deinceps & mater & sorores, & uero Resp. maxime curæ esse debebunt. In te spes oēs omniū, quas frustrari te æquum non est, sitæ sunt. Nonnihil quidem nobis debet Polonia, quemadmodum audisti: sed nos illi multo plus. Quippe quę nos sibi maioresq́ue nostros, posthabitis quibusdam illustrioribus & elegantioribus, atque etiā potētioribus fortasse, reges assumpsit, & summa fide, studio, obsequioq́ue coluit. Te, quemadmodum ipse nosti, puerulū etiamtū, regio diademate insigniuit. Ad eius igitur salutem atque dignitatē, uicissim te uoluntatē tuam, studia, & conatus omnes adiungere in primis æquū est. Id uero ita demū recte

Aurea pij patris monita.

 facies,

facies, si omnibus te æquabilem, familiarem uero non nisi grauissimis & sapientissimis quibusque præbebis: si nullius ius & innocentiam neque gratia, neque odio cuiusquam opprimi sines, & in iudicijs exercendis non cuius cognatus, necessarius, aut cliens quisque sit, sed quàm iustam causam habeat, attendes: Si tenuiores à ui & iniurijs potentiorum uindicabis: Si honestatem uoluptati, publica commoda tuis priuatis antepones: Si nulla in re leuior, aut præceps eris, neque de maioribus rebus absque consilio Senatus quicquam statues: Cum iuuenibus uero & iuuenili ardore præditis, cõsilia non temere communicabis: Si assentatoribus aures

res

res non accõmodabis. Blandum enim est malum, sed pestilens in primis regnis atque regibus, assentatio: Si dissensiones ordinũ, & simultates procerum inter ipsos authoritate tua penitus extirpabis: Si denique pietatẽ atque religionem sanctissimam sedulo & ex animo coles, neque ab institutis maiorũ, & iam inde ab exoriente religione Christiana apud omnes gẽtes recepto, & ad nostra usque tempora transmisso retẽtoque cultu Dei opt. max. uenerandisque cæremonijs atque dogmatibus te cuiusque uel insidiosis blanditijs, assentationibus, & illecebris auocari, uel importunitate auelli sustinebis. Harũ rerum omniũ exẽpla domestica habes, satis, nisi fallor, illustria

Non

Non ignoras fili, quo successu, qua fœlicitate, quantaq́ꝫ gloria nos tam diu regnauimus: Id nos totũ Deo opt. max. quem sedulo riteq́ꝫ coluimus, acceptum referimus. Existimare aũt debes, neqꝫ regnum, neqꝫ quicq̃ omnino sanctum & inuiolabile esse posse, ubi religio labefactatur. His tibi ijs fili suauissime ad laudem, ad beneuolentiam hominũ, ad salutem tranquillitatemq́ꝫ ditionũ tuarꝫ, deniqꝫ ad decus & immortalitatem grassandum est. Hac certus est, & exploratus pijs principibus ad cœlum aditus: Hęc tecum Sigismunde Auguste pater: Illa rex uel [illegible] uobiscum uiri Poloni. Reliquum est, utriqꝫ ut sanctissimis & saluberrimis monitis eius obtem-

Seruãda religio antiqua.

obtemperetis, eiusq́ꝫ præclara erga uos merita, assidua pietate & grata memoria semper prosequamini: omnesq́ꝫ pariter eum, uti debemus, uiuorum & mortuorum Deo, apud quem nemo satis iustus & insons est, assiduis precibus commendemus. Vicissim ille in cœlis, uti speramus, pro nobis orabit: & quorũ saluti & incolumitati omni ratione, quoad uixit, consuluit, ijs ne nunc quidem, omni iam rerum terrenarum cura & molestia solutus, studium suum in placando Deo opt. max. deesse patietur.

FINIS.

ERRATA.

Folio 19. a. linea 3. Legnicienſi. Fol. 39 b. lin. ult. clementia. Fol. 47. a. lin. 7. aliud. Fol. 70. a. lin. 18. dubiè. Fol. 79 b. lin 13. certè. Fol. 82. a. lin. 10. uobis. Fol 91. b. lin. 15. hoc. Fol. 94 a. lin. 10 ſuſtinere. Fol. 124. b. lin. 8. Arragoniæ.

MOGVNTIAE DE-
nuo impreſsit Franciſcus Behem Ty-
pographus, In laudem & perpe-
tuam memoriam Opt Re-
gis, & in exemplum
cunctis Principi-
bus & po-
ſteris.

